46850/B

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30498077

DISSERTATIO HISTORICO CRITICA

DE

FEMINIS
EX ARTE MEDICA CLARIS

QVAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

AVCTORITATE

POLYCARPVS FRIDERICVS
SCHACHER

ARTIVM MAGISTER AC M. D. CANDIDATVS

ET

IOANNES HENRICVS SCHMIDIVS

LIPSIENSIS

PVBLICE TVEBVNTVR

LIPSIAE A. D. VIII. ID. MAI. CIↃIↃCCXXXVIII

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

VIRO
ILLVSTRI
MAGNIFICO. EXCELLENTISSIMO
IACOBO. BORNIO. IC
POTENTISS. POLON. REGIS
ET. PRINCIPIS. SAXONIAE. ELECTORIS
PROCANCELLARIO
SVPREMAE. CVRIAE. PROVINCIALIS
ET. SCABINATVS. REGIO. ELECTORALIS
ADSESSORI
CIVITATIS. LIPSIENSIS
CONSVLI
AEDIS. AC. SCHOLAE. S. NICOLAO. SACRAE
ANTISTITI

VRBIS. PATRIAE. PATRI

TVLLII. EXEMPLO

IVRE. MERITO. QVE. DICENDO

FONTI. ET. CAPITI

SENATORVM

CIVIVM. QVE. DELICIO

PRVDENTISSIMO

ARTIVM

QVAE. AD. HVMANITATEM. PERTINENT

EXISTIMATORI

SVMMO. MVSARVM. SVARVM. PATRONO

AC. FORTVNAE. IN. POSTERVM. STATORI

S. P. D

POLYCARPVS. FRIDERICVS. SCHACHERVS

VIR
ILLVSTRIS. ET. MAGNIFICE
PATRONE. OPTIME

Diu eſt, quod diuino nutu conſilioque accidit, vt Borniana *et* Schacheria *gens arctiori matrimonii vinculo coniungeretur. Diu etiam eſt, quod TIBI cum Parente meo, dum adhuc in vita manſit, interior amicitia et neceſſitudo interceſſit, cuius amabiliſſimum nodum nil, niſi mors, tollere potuit.*

Ego itaque, veteris TVAE in meos beneuolentiae memoriam hodie renouaturus, TE, qui vnus res meas ornare vales, adire audeo, demiſſe obteſtans atque obſecrans, vt inſignia, quae in Parentem quondam contuliſti, beneficia in me, Filium, deriues, meque in clientum TVORVM, quorum ſaluti proſpicis, numerum per-

perbenigne recipias. Ne vero ſolus, et ſine comitibus, hanc eximiam mihi felicitatem expeterem, Feminas ex arte medica nobiles et claras, *quas ex antiquitate repetii, ſocias adiungendas eſſe putaui, ſperans, me tot ſupplicibus auctum repulſam minime laturum. Quodſi preces meas audieris, et in iis, quorum rebus bene cupis, vel vltimum mihi locum conceſſeris: ego profecto in TE obſeruando et colendo, quin etiam in votis, pro perpetua et TVA, et totius DOMVS BORNIANAE, incolumitate nuncupandis, nemini ſecundus ero,*

ILLVSTRIS. ET. MAGNIFICI
NOMINIS. TVI
PATRONE. OPTIME

cultor obſequentiſſimus,

POLYCARPVS. FRIDERICVS. SCHACHER

Q. B. F. F. F. Q. S.

§. I.

Quae res in erudita ciuitate duae plurimum poſſunt, hae mecum ambae faciunt in hac propoſita re, mater artium, philoſophia, et hiſtoria, vetuſtatis nuntia, quarum alteram nunc exorſurus conſulam, alteram vero in ipſa pertractatione in auxilium vocabo. Conſtitui feminas quasdam enarrare, quae de arte medica bene meritae ſunt, ſeque hac ratione ipſae ab obliuione vindicarunt hominum. Sed facile, nec inuitus, praeuideo, mirum hoc argumentum iis viſum iri, qui mulieres, ſi non ab ipſorum hominum, a litteratorum tamen ſocietate, amandandas eſſe contendunt. His autem, quibus iſta placet opinio, eas nunc ponderandas proponam rationes, quae cum a PRIORI, tum a POSTERIORI ductae ſunt; vt verbis vtar in philoſophicam ciuitatem iam dudum adſcriptis. Atque hae quidem, quas adhibebo, rationes eiusmodi erunt, vt certus ſim, maxima ipſas ad demonſtrandum virtute eſſe valituras. Iſtud, quo homo beſtiis praeſtat, RATIO eſt, *qua*

qui hominibus ipsis antecellit, is demum, si M. T. CICERONEM, [a]) philosophum Vrbis praestantissimum, audias, *praeclarum quiddam adeptus esse videtur*. Iam vero RATIO, seu intellectus humanus, tres in se continet facultates, quas in lucem prodire iubet, memoriam, ingenium, iudicium: quarum in interiori eruditione nullus extat vsus, nisi ad eximiam atque illustrem naturam conformatio quaedam doctrinae et assidua accesserit exercitatio. Haec philosophiae scita tam clara, nisi me sciens fallo, splendent luce, vt de iis nemo dubitet vnus. Quo magis aptum et inter se conueniens erit, haec, quae ieci, fundamenta ad rem propositam accommodare.

§. II.

Feminae peraeque, vt viri, quoniam vtuntur ratione, homines et sunt, et iure meritoque vocantur. Et illas quidem rationis re vera participes esse, eamque ob caussam ad homines pertinere, nemo vnquam sanus infitiari ausus est, nisi qui ingenio ludenti de industria velificari, magnoque promissor hiatu, aliis nouarum rerum curiosis verba dare voluit. Audimus quotidie mulierculas, pro suo quamque captu ratiocinantes, consilia, quae dantur, accipientes, eademque dantes aliis, si qua desiderant. Videmus, vt easdem rerum praepostere actarum poeniteat, vt alios homines ab orsis minus salutaribus auocent, itemque eos derideant vehementer, qui, qua in re suae vtilitati seruire debebant, ea ipsa in re istam tantopere violant, nihil vt supra sit. Quid? quod in scholis medicorum edocemur, feminas nulla in re alia, nisi in iis corporis partibus, quae effingendae prolis caussa a natura datae sunt, a viris diuersas esse atque seiunctas. Ex his propriis indiciis ac notis, non inuita differendi arte, hanc duco conclusionem: E. mulieres rationis haud sunt expertes.

a) *Lib. I. de Inuent. C. IV.*

pertes. Et ex hac concluſione nouam, quae huc in primis pertinet, iterum elicio: quum ratio in feminis inſit, perſpicuum eſt, easdem tribus etiam rationis viribus, memoria, ingenio, iudicio, eſſe praeditas. Q. E. D.

§. III.

Haec vbi poſui principia, ad id ipſum, quod cauſſa mea, in qua oranda verſabor, exigit, me conuertendi viam paratam patefactamque perſpicio. Facultates naturales ad genuinum, quem natura intendit, vſum haud ſunt idoneae ac ſatis accommodatae: quin etiam, vbi nulla prorſus accedit cultura, ſuapte ſponte fiunt deteriores, eoque ſpoliantur vſu, qui rectae rationi conſentaneus eſſe cenſetur. Quapropter ſupremi rerum opificis ſic fert voluntas, vt omnes mentis, ſicut corporis, facultates, adiuuante cultura, emendentur et corrigantur. In hac vero re illi praeſertim viri elaborare ſolent, qui doctrina ab indocta plebe ſecerni ac ſegregari moliuntur. Hinc ſunt in orbe litterato, qui res memoriae proprias ſeparata voluunt exercentque opera, in eam incumbentes curam, vt alios iis ipſis vincant et antecellant. Quo ii, exempli gratia, pertinent, qui in linguis excolendis, hiſtoriarumque ſcientia addiſcenda tantum ſtudii ponunt, quantum in nulla re alia. Alii animum iis rebus induunt, quas ingenium ſibi vindicat; quorſum non immerito referri merentur, ars poetica, oratoria, pictoria, variae fictiones, quae fieri poſſe iudicantur, et alia eiusdem generis. Alii denique iudicium omni modo expolire conantur, eoque conſilio ſcientias, in quibus iudicio ſeparatim opus eſt, colunt, vt philoſophiam ac matheſin; vt alia tacitus praeteream. Reperiuntur vero porro adhuc inter viros eruditos, theologi, iuris periti, medici, philoſophi, philologi; quae quidem omnia ab inſtitutione et vſu pendent, vt in ea quisque excellat diſciplina, cui in primis eximiam nauauit operam.

Quemadmodum igitur viri has mentis facultates exercent: ita mulieres aeque iisdem expoliendis diligentiam adhibere posse, nullam prorsus, quae me ancipitem dubiumque reddat, video rationem. Quin potius experientia, optima rerum magistra, illud nos quam certissime docet. Sunt enim feminae, quae memoriae culturam sibi praecipue habuerunt commendatam. Nec desunt mulieres, in quibus mira ingenii vis fulsit, vt poetriarum graecarum indicem GOTTFRIDVS OLEARIVS, vir clarissimus, contexuit; [b]) vt taceam, viua hodieque exempla inueniri, quae rerum elegantiorum peritum praetereunt neminem. Ecquis denique dubitabit, mulieres reperiri, quae singulari iudicandi virtute valeant? Neque aliter res sese habebit, si quae musarum cultrices sanctioris theologiae, aut iurium scientiae, aut medicinae, aut philosophiae, aut denique philologiae, separatam nauare operam moliantur.

§. IV.

Atque litteratas huiusmodi feminas eruditam ciuitatem re vera ornasse, nemo dubitabit, nisi qui scripta de iis in lucem edita non legerit. Equidem illorum commemorare nomina haud pigrarer, nisi alii viri doctissimi otia mihi ea in re feciissent. [c]) At facere tamen non possum, quin *Philologam* eximiam, idque nominis, si qua alia, promerentem, ANNAM F. DACERIAM [d]) hic loci honoris caussa nominem, multis quippe ingenii monimentis clarissimam, quae, interiori

b) *de Poetriis Graecis dissert. Lipsiae* cIↃ IↃ CC VIII. *habita.*

c) Ex his illuc pertinet GEORG. CHRIST. LEHMS *Teutschlands galante Poetinnen Francof.* cIↃ IↃ CC XV.

d) Huic a cl. AEGIDIO MENAGIO is habitus est honos, vt *Historiam Mulierum Philosopharum* nitidissimae Amstelodamensis DIOGENIS LAERTII editionis, A. cIↃ IↃ C VIIC. publicae luci expositae, Volumini II. p. 485. s. adiunctam ei inscriberet. Ego vero istam hic loci historiam nominare, mea interesse putaui.

riori vtriusque linguae peritia illam ornatam atque inſtructam fuiſſe, per ſe ipſa loquuntur. Cum hac *Philoſopham* aliquam, eandemque iure ac merito hoc nomine dignam, coniungo, filiam nimirum RADVLPHI CVDWORTHI, illuſtris in academia Cantabrigienſi ſacrarum litterarum ſuperiori ſaeculo Profeſſoris vnicam, DAMARIN, feminam inter ingenioſiſſimas eruditisſimasque, imo philoſophas aetatis noſtrae mulieres, principem facile locum conſecutam, [e]) eoque nomine a IOANNE LOCKIO, Philoſopho Angliae acutiſſimo, maximopere cultam. [f])

§. V.

Nec vero dubitandum, MVLIERES etiam MEDICAS inuentas eſſe, quae haud ſpernendam ſibi famam compara-uerint. Ac mihi nunc ſtat ſententia, ſingularia harum exempla recenſere, atque ab interitu vindicare, quo *a poſteriori*, vt philoſophis loqui placet, demonſtrem, feminis aditum ad eruditionem clauſum atque interdictum haud eſſe. Hac vero ratione huic opinioni meae, quam in principio ſtatim prae me tuli, maius accedit pondus, quippe quum eam et *a priori* §. II. demonſtrauerim, et *a poſteriori*, in iis, quae conſequentur, planam facturus ſim. Auctores hoc in labore ſequar, quos prae ceteris idoneos iudicauero, hosque ſuis locis teſtes appellabo. Neque omittam, iudicia, quae in

e) Teſtem hanc in rem cito PETRVM BAYLIVM *Lettres choiſies, Tom. III. L. 266. p. 1019. Cette Dame merite les reſpects de tout le monde par ces excellentes qualités.* Idem *L. 267. p. 1021.* hoc iudicium tulit: *Il n'y a perſonne au monde, qui aye plus de reſpect, que moi, pour ſon merite extraordinaire, et qui veuille faire une plus haute profeſſion d'admirer ſes vertus, ſa pieté, ſon ſavoir, et milles autres perfections, qui lui font tenir un rang ſi diſtingué par les plus illuſtres de nôtre ſiecle.*

f) Vid. IO. CLERIC. *Bibliotheque choiſie T. VI. p. 398. ſeq. vbi* IO. LOCKII exhibetur elogium, idemque lectu in primis dignum.

promtu habebo, apponere, vbi opus erit, omnia obleruaturus, quae haecce commentatio desiderat historica, quaeque ars ratiocinandi in probabili hac veritate praescribit. Et illa quidem exempla nemo in dubium vocabit, quae pluribus idoneis nitentur testimoniis: cetera vero coniecturarum loco haberi cupio. Ita autem nos existimare aequum est, fieri posse, vt longe plures, quam e monimentis antiquis eruere licet, exstiterint feminae, quae humano generi sua rei medicae peritia profuerunt. Et quamquam is non sum, qui perfectissimam medicinae, secundum singulas partes suas, cognitionem illis vindicatum eam: idem tamen existimo, MEDICARVM nomen, in sensu latiori sumtum, illis quodammodo competere. Quod si non pleno iure, et secundum nostros mores, tamen exemplo fit veterum, qui *illos illasue* de familia sua, *qui* vel *quae* ea didicerant et exercere nouerant, quae a medicis aguntur aut requiruntur, a medicina denominabant. Quod quidem vt ingenuis medicis nullo modo potest esse dedecori: ita etiam MVLIERIBVS MEDICIS, quae vel olim fuerunt vel hodieque sunt, minime omnium debere exprobrari arbitror. De cetero, ea tractandi ratione vtar, vt ordinem litterarum ante oculos positum habeam, commoditati et opportunitati legentium hac in re seruiturus.

§. VI.

ADELMOTA principem hic locum occupat, illius ordinis lege, cuius me tenacem fore, paullo ante dixi. Indicium huius MEDICAE FEMINAE mihi fecit vir doctissimus, IO. RHODIVS, [g]) cuius hic verba habeto, quibus, quod addam, nihil prorsus me habere profiteor. Is nimirum: *consultandi*, inquit, *prudentia medendique arte Patauii*,

g) *Emend. et not. ad Scribon. Larg. CXXII. pag. 194.*

tauii, variori exemplo, eminuit ADELMOTA *Maltrauerſa, Bonitrauerſi Maltrauerſi Comitis Caſtrinoui filia, vxor Iacobini VI. Cararienſis, qui primus Papafauae gentis adhuc Patauii nobiliſſimae cognomen adſciuit.* Magna ſane laus a medico claro et docto profecta! Fateor enim me neſcire, quid maius requiri in perfecto medico poſſit, praeter conſultandi prudentiam et medendi artem. Haec cui inſunt, is haud dubie primum ſibi locum poſtulare poſſet, etiamſi non daretur elementorum ſeries.

§. VII.

AEGLE eſt illa, cui alterum inter FEMINAS MEDICAS locum tribuam. Filia eſt, teſte HENRICO SCHAEVIO, [h]) *Aeſculapii*, alterius medicinae inuentoris, aut certe amplificatoris, et *Lampetiae* natu minima. CHRISTOPHORVS quidem CELLARIVS Meibomium in antiquitatibus medicis [i]) citat, qui ſolo nomine ex *Suida* [k]) AEGLEN notam

h) *Mythol. p. m. 31.* Videtur autem haec accepiſſe a LIL. GREG. GYRALDO *Hiſt. Deor. Syntagm. VII. p. 255.* Hic vero a ſcholiaſte ARISTOPHANIS ad *Plut. verſ. 701.* vt me coniectura ducit, ſumſit, cuius verba adiiciam, vt fontium auctoribus ſatisfaciam: *Ἑρμιππος ἐν τῷ πρώτῳ τῶν περιμέτρων Ασκληπιοῦ καὶ Λαμπετίας τῆς Ἡλίου, λέγει Μαχάονα, καὶ Ποδαλείριον, καὶ Πανάκειαν, καὶ* ΑΙΓΛΗΝ *νεωτάτην.*

i) *Cap. III.* de AESCVLAPII *liberis*, §. *V. p. 20.*

k) Nimis arcte circumſcribit MEIBOMIVS illam, quae nobis de AEGLE ſuppetit, notitiam. HERMIPPO, quem modo indicauimus, addamus licet ARISTIDEM oratione *in Aſclepiad. p. 82. Tom. I. edit. Paul. Steph.* vbi ſorores Machaonis et Podalirii nominibus ſuis celebrantur *Iaſo, Panacea*, AEGLE et *Hygea.* Ac neſcio ſane, annon SVIDAS hic leuem admittat medicinam, vt plane conſaneſcat. Nam ſi legas ἡ Ἀσκληπιοῦ, Aeſculapii filiam habes, et ſenſum tot aliorum auctorum teſtimoniis congruum: quum nemo indicauerit exemplum, quo Aeſculapium et AEGLEN eiusdem poteſtatis nomina eſſe, probari queat. Exemplum autem illius, quam hic loci commendaui, lectionis habuimus in praecedenti ſcholiaſtae loco: *Λαμπετία ἡ Ἡλίου.*

notam esse, hocque parenti illius attribui, perhibet. Ἄιγλη καλεῖται, ἡ ὁ Ἀσκληπιὸς. At vero CELLARIVS a me, qui nomen AEGLES, Aesculapii filiae, proprium esse contendo, suam, si rem bene putes, haud seiungit opinionem. Cui etiam sententiae C. PLINIVS SECVNDVS fauet, atque IO. HENRICVS SCHVLZIVS, vir celeberrimus. Ille quidem *Socratis* picturas describens: [l]) *Tales sunt*, inquit, *cum Aesculapio filiae, Hygia*, AEGLE, *Panacea, et Iaso.* Hic vero, [m]) AEGLEN Aesculapii filiae re vera nomen esse, suis declarat verbis. Artis vero medicae notitia illam tinctam fuisse, SPANGENBERGIVS [n]) auctor est, quippe qui, exempla multarum feminarum doctarum commemorans, AEGLEN vna cum his annumerat. Quin etiam CL. DANIEL CLERICVS [o]) hanc ipsam in feminarum numero, quae arti medicae fauerint, vult haberi. His equidem firmiora non habeo in promtu, quae meam hanc iuuent cauſſam.

§. VIII.

AFRICANA, mulier quaedam, siue ex nomine, siue ex regione, ita nuncupata, inter MVLIERES MEDICAS quoque refertur, licet de illius scientia nullum aliud extet monimentum, nisi hoc vnicum, quod cura passionis iliacae, et colicae famam sibi aliquam pepererit. Testem hanc in rem cito MARCELLVM BVRDEGALENSEM, [p]) qui, eam in hoc curando morbo exercitatam, et medicamentum, quo vsa sit, potiori parte sua cornu cerui vstum fuisse, scribit. Praeiuit ipsi, quem fere semper sequitur, aut potius transcribit,

SCRI-

l) *Hist. nat. Lib. XXXV. Cap. XI. de pictoribus, p. m. 600.*

m) *Hist. med. Period. I. Sect. II. Cap. II. §. VI. p. m. 82.*

n) *Specul. Nobilit. P. I. Lib. XIII. c. 7. p. m. 42.*

o) *dans l' Histoire de la Medicine Second. Part. L. III. Chap. XIII. p. 432.*

p) *Lib. Medicam. c. XXIX. p. 377.*

SCRIBONIVS LARGVS, [q]) qui: *hoc medicamento*, inquit, *mulierculae quaedam Romae ex Africa multos remediauit.* GALENVS [r]) eius quidem remedii *Pacchium Antiochum* auctorem facit; quum autem MARCELLVS et SCRIBONIVS AFRICANAM eo vsam esse affirment, illa post *Antiochum* aliunde hoc medicamen petiisse videtur, nisi mea me fallit coniectura. Certe SCRIBONIVS LARGVS *se per magnam curam compositionem accepisse*, id est, *pretio dato, quod desiderauerat*, diserte fatetur ac prae se fert: quumque is alio loco indicet, ab eodem *Antiocho Pacchio* acceptum sine numerato pretio medicamentum; hic vero clare testetur, se numerata pecunia hoc esse adeptum ab ipsa femina: cognoscitur hinc vtique, eadem aetate AFRICANAM et SCRIBONIVM vixisse. Quod autem NICOLAVS ALEXANDRINVS, quem RHODIVS [s]) adducit, de se fere eadem scribit, [t]) id quidem manifestum reddit omnino, quod ex SCRIBONIO haec in suum opus transtulerit. Sed quo-quo modo haec se res habet, CLERICVS [u]) certe modo laudatus non inscite ad feminas medicas eandem retulisse videtur.

§. VIIII.

Iam ad AGAMEDAM, vel PERIMEDAM me conuerto, quam, teste CLERICO, [v]) filiam Augiae, Epeorum regis, vxoremque Mulii, ob rei medicamentariae peritiam HOMERVS memoriae prodidit ac litteris. Multum enim huic tribuens, tot ipsam scire medicamina, quot lata terra nutriat, scribit, ita canens: [vv])

Ἠ τόσα φάρμακα ἤδη, ὅσα τρέφει εὐρεῖα χθών.

Vide-

q) *de compos. medicam. c. XXIX. p. 72 et 73. CXXII.*
r) *de compos. medicam. per gen. Lib. IX. C. IV.*
s) *Cap. XXIII. §. XCVII.*
t) *de compos. medicam. Cap. DCCXLIIX.*
u) *Hist. med. ed. cit. p. 435.*
v) *Hist. med. p. 432.*
w) *Lib. XI. Iliad. p. 219.*

Videtur tamen valde obſcurum eſſe, magisne laudi, an vitio, tribuatur ipſi haec cognitio. Cauſſa dubitandi eſt, quod vocabulum *φάρμακον* non minus noxia, quam ſalubria, medicamenta complectitur. EVSTATHIVS certe, doctisſimus diuini vatis enarrator, cum Circe et Medea eam conferens, et tantum non Medeae diſcipulam faciens, eodem nos permouet, vt de AGAMEDA ſuſpicemur, quod veneficiis magis, quam iuuandis hominum languoribus, ſcientiam hanc adhibuerit. Atque in hunc ſenſum iterum de eadem loquitur alio loco, [x]) vbi aperte ſcribit, quod *φαρμακὶς venefica* fuerit. Quod autem idem clarisſimus HOMERI explanator eandem AGAMEDAM cum Polydamna, Thonis Aegyptii vxore confert; id quidem, vt mitius ac melius de peritia eius medica ſentiamus, cauſſam nobis dat idoneam. Putant aliqui, eandem eſſe HECAMEDAM, de qua ſub exordium fere Lib. XIV. eiusdem *Iliados* refertur, quod aquis calidis ſaniem cruentam Machaonis vulnerati abluerit:

Εἰσόκε Θερμὰ λόετρα ἐυπλόκαμος Ἑκαμήδη,
Θερμήνῃ καὶ λούσῃ ἄπο βρότον αἱματόεντα.

At ſi quis, praeeunte ANDREA TIRAQVELLO, [y]) dubitet, num haec ipſa HECAMEDE eadem ipſa ſit, quae alibi AGAMEDA vocatur: libenter me ad eius opinionem acceſſurum profiteor; praeſertim quum anus annoſa, et vetula edentula, per ſenectutem vix caſtra ſequi, aut *τῆς ἐυπλοκάμου*, hoc eſt, pulchram et calamiſtratam comam habentis, appoſitum mereri potuiſſe videatur.

§. X.

Hanc excipit AGNODICE, virgo quaedam Attica, quae, quum incredibili medicinam, et in primis artem obſtetri-

x) *ad Odyss. I. p. 1415. edit. Roman.* y) *de Nobilit. c. XXXI. p. 220. lin. 55.*

ſtetriciam, addiſcendi cupiditate flagraret, in ea etiam colenda, quamquam id quidem legibus Atticis interdictum eſſet, omnem nauauit operam, veſteque virili induta, mulieres grauidas felici cum ſucceſſu curauiſſe ſcribitur. Rem, verbis HYGINI [z]) vſurus, enarrabo: *Antiqui obſtetrices non habuerunt, vnde mulieres verecundia ductae interierant. Nam Athenienſes cauerant, ne quis ſeruus aut femina artem medicam diſceret:* AGNODICE *quaedam puella virgo concupiuit medicinam diſcere, quae cum concupiſſet, demtis capillis, habitu virili ſe* HIEROPHILO *cuidam tradidit in diſciplinam, quae cum artem didiciſſet, et feminam laborantem audiſſet, ab inferiore parte veniebat ad eam: quae cum credere ſe noluiſſet, aeſtimans virum eſſe, illa tunica ſublata, oſtendebat, ſe feminam eſſe: et ita eas curabat. Quod cum vidiſſent medici, ſe ad feminas non admitti,* AGNODICEM *accuſare coeperunt, quod dicerent eum glabrum eſſe et corruptorem earum, et illas ſimulare imbecillitatem. Quo cum Areopagitae concediſſent,* AGNODICEM *damnare coeperunt, quibus* AGNODICE *tunicam alleuauit et ſe oſtendit feminam eſſe. Et validius medici accuſare coeperunt, quare tum feminae principes ad iudicium conuenerunt, et dixerunt: Vos coniuges non eſtis, ſed hoſtes: quia, quae ſalutem nobis inuenit, eam damnatis. Tunc Athenienſes legem emendauerunt, vt ingenuae artem medicinam diſcerent.* Ab his aliena haud ſunt, quae CLERICVS, [a]) vir elegantis ingenii, in compendio exhibet: *La peine, que la plûpart des femmes ſe font de découvrir aux Medecins certaines maladies ſecrettes, les a obligées de long-tems à chercher d' autres femmes, à qui elles puſſent en faire*

 confi-

z) *Fabul. CCLXXIV. p. 207.* Conf. Celeb. PLATNERI, Praeceptoris mei Venerandi, elegantiſſima Commentatio de *ARTE OBSTETRICIA VETERVM.*

a) *Hiſt. med. p. 432.*

confidence, et qui puſſent les ſoulager. On a voulu anciennement leur diſputer ce droit; et on s'eſt opposé en quelques lieux à cet etabliſſement. Vne ancienne Loi des Atheniens defendoit aux Eſclaves et aux Femmes de ſe mêler de la Medecine, jusque là, que le mêtier d' accoucher, qu' ils jugeoient dépendant de cet art, ne pouvoit être exercé, que par des hommes. Mais quelques unes des Dames Atheniennes ayant mieux aimé mourir, que de ſouffrir, que des hommes les accouchaſſent, on dit, qu' une d' entr'elles nommée AGNODICE, *qui avoit appris la Medicine, et l' art d' accoucher d' un nommé Herophile, s' aviſa de ſe traveſtir pour ſecourir les autres; ce qui ayant été decouvert, obligea les Atheniens à faire une autre Loi, qui permettoit aux femmes de condition libre d' apprendre la Medicine.*

§. XI.

Sequitur nunc ANGVITIA, ſiue, vt nonnulli legunt, ANGITIA, Aeetae regis filia, Circes et Medeae ſoror. DONATVS ad TERENTIVM, [b]) ANGITIAM loco ANGVITIAE, ſicuti Angiportum pro Anguiportu, dici obſeruat et contendit. CLAVDIVS SALMASIVS de ea hanc in ſententiam loquitur: ANGITIAM *quomodo Graeci nominabant? ſi vna haec fuit ex tribus Aeetae filiabus, oportet eam Graecos nouiſſe, ſed non iſto nomine, quod mere latinum eſt. Rectius illi, qui Medeam ab Italis Angitiam vocatam eſſe, volunt. Eam Marſi et Marrubii hoc nomine coluerunt. Gloſſae: Angitia,* Μήδεια. *Angitia proprie eſt ἡ ἐχῖτις, ἡ ἐχιδνᾶια, quod poteſtatem in ſerpentes haberet, vt omnes habent φαρμακεῖς.* [c]) SOLINVS, [d]) Aeetae tres filias recenſens, ANGITIAM *vicina Fucino occupauiſſe,*

b) *Adelph. Act. IV. Sc. II. v. 38. p. 841.*

c) *in Exercit. in* CAII IVLII SOLINI *Polyhiſt. p. 60. B. C.*

d) *in Polyhiſt. C. II. p. 11. ed. cit.*

uisse, inquit, *ibique salutari scientia, aduersus morbos resistentem, cum dedisset hominem viuere, deam habitam.* Ad quae verba hanc notam addidit SALMASIVS, vir litteratissimus: [e]) ANGITIAM *salutaribus remediis morbos euincentem, cum homini iam desperato, et paene conclamato, vitam reddidisset, pro dea habitam fuisse.* Siquidem locutio haec, *cum dedisset hominem viuere*, poetica est, et Virgiliana, qualis saepe numero inuenitur:

- - - - - - - tu das epulis accumbere vitam.

Herbarum vires ANGITIAM praesertim aduersus virus non secus ac sorores nouisse, ex SILIO ITALICO [f]) facile intelligi potest, qui ita canit:

Vipereumque herbis hebetare, et carmine dentem
Aeetae prolem ANGVITIAM *mala gramina primam*
Monstrauisse ferunt, tactuque domare venena.

SPANGENBERGIVS [g]) illam quidem existimat indicari feminam, quae et ANGERONIA, vel ANGERONA dicta est, a depellendis angoribus et corporis et animi, sicuti putat VERRIVS FLACCVS, [h]) aut quod populus Romanus morbo, qui angina dicitur, praemisso voto sit liberatus; de quibus videatur AVR. THEODOSIVS MACROBIVS: [i]) *Duodecimo Calend. Ianuar. sunt diuae*, inquit, ANGERONIAE, *cui pontifices in sacello Volupiae sacrum faciunt: quam Verrius Flaccus* ANGERONAM *dici ait, quod angores ac animorum sollicitudines depellat. Masurius adiicit simulacrum huius deae ore obligato atque signato in ara*

e) in *Exercit. p. 60.* Exhibui autem verba, vt ea formis hic descripta reperi. Nullus tamen dubito, quin scribere voluerit: *epulis accumbere diuum.* Nam sic sensus et postulat, et VIRGILIVS canit *Aeneid. I. v. 83.*

f) *de Secundo Bello Punico, Lib. VIII. v. 499. p. 143. ex officin. Plantinian.* cIↃ IↃ c.

g) *Specul. Nobilit. ed. cit. p. 427.*

h) *vid. Salmas. in Solin. ed. cit. p. 6. E. F.*

i) *Saturnal. Lib. I. Cap. X. p. 160.*

Volupiae propterea collocatum, quod, qui ſuos dolores anxietatesque diſſimulant, perueniant patientiae beneficio ad maximam voluptatem. Iulius Modeſtus ideo ſacrificari huic Deae dicit, quod populus Romanus morbo, qui angina dicitur, praemiſſo voto ſit liberatus. Ego vero cum celeberrimo SCHVLZIO, k) credere malim, eorum opinionem, qui varia feminarum nomina, MEDEAM, ANGITIAM, et ANGERONAM pro vna eademque perſona habent; infirmo niti fundamento, eamque ob cauſſam reliqua etiam, quae de iis ſeparatim relata leguntur, incerta eſſe omnia.

§. XII.

ANTIOCHIS artem ſalutarem ſedulo etiam coluiſſe, hacque in primis Romae vſa eſſe dicitur. Mentionem eius fecerunt ASCLEPIADES l) atque GALENVS. Vterque enim malagma deſcribit eiusdem, quod in curandis ſplenicis, hydropicis, iſchiadicis, arthriticisque morbis non infeliciter adhibuit. Non puto, quod operae pretium ſit, me facturum, ſi eius compoſitionem addam. Quare potius ad GALENVM m) iſtam lecturos remittam, qui varias ſpecies, ex quibus hoc malagma conflatum fuit, copioſius expoſuit. CLERICVS, qui huic quoque feminae inter MEDICAS locum conceſſit, verbis non ita multis omnem eius hiſtoriam exponit: n) *Galien rapporte auſſi quelques compoſitions de medicamens d'une Antiochis, qui eſt apparemment la même, à qui Heraclide Tarentin avoit dedié quelques uns de ſes livres, comme on l'a vu ci-deſſus.*

§. XIII.

Progredior nunc ad ARTEMISIAM, Cariae regis, MAVSOLI

k) *Hiſt. med. ed. cit. p. 103.*
l) *Lib. IV. intern. citante Galeno, loco, qui proxime indicatur.*
m) *Lib. IX. pharmac. C. II. et Lib. X. C. II.*
n) *Hiſt. med. ed. cit. p. 434.*

SOLII coniugem, quam in arte medica, et in primis Botanica, excellenter versatam esse, relatum legimus. HERODOTVS o) eam quidem filiam Lygdamidis, regis Cariae, esse in litteras retulit, cui vero STRABO non assentitur, qui ipsam Hecatomni filiam esse, memoriae prodidit. Is nimirum: Ἑκατόμνῳ, inquit, p) τῷ Καρῶν βασιλέως, ἦσαν υἱοὶ τρεῖς, Μαύσωλος, καὶ Ἰδριεὺς, καὶ Πιξώδαρος, καὶ Θυγατέρες δύο, ὧν ἡ πρεσβυτέρα ΑΡΤΕΜΙΣΙΑ συνῴκησε τῷ πρεσβυτάτῳ τῶν ἀδελφῶν Μαυσώλῳ. Est certa herbae species, quae Artemisiae nomine insignitur, Germanisque *Beyfuss* dicitur, quae ab hac Regina nomen ducere creditur. PLINIVS enim nonnullas herbas a Regibus sua accepisse nomina, referens, Clymenum, Gentianam, atque Lysimachiam, exempli gratia, profert, in quibus Clymenus, Gentius, et Lysimachus, Reges Arcadiae, Illyriorum, Thraciaeque nominatim apparent. Nec aliter citatus historiae naturalis scriptor de herba Artemisia sentit: q) *Mulieres*, inquiens, *quoque hanc gloriam affectauere, in quibus* ARTEMISIA, *vxor Mausoli, adoptata herba, quae antea parthenis vocabatur. Sunt, qui ab Artemide Ilythia cognominatum putant, quoniam priuatim medeatur feminarum malis.* Cui sententiae THEOPHRASTVS r) fauet, aeque ac APVLEIVS. s) Dantur vero duae reginae, quae ARTEMISIAE nomine appellantur, et plures etiam aliae eiusdem nominis feminae, quae multis clarissimis viris errandi praebuerunt occasionem. Atque, vt verum fatear, haec nominum varietas me ipsum dubium atque ancipitem reddit, vt vix constituere audeam, quaenam harum arti salutari studuerit. At probabili tamen veritati, atque scriptorum auctoritati, maxime videtur esse consentaneum, si eam ipsam,

o) ΗΡΟΔΟΤΟΥ ΙΣΤΟΡΙΩΝ βιβλ. ἐβδομ. καὶ ὀγδ.

p) *Rer. Geograph. Lib. XIV. p. 970. edit. Amstelodam.* CIↃ IↃ CC VII.

q) *Hist. nat. ed. cit. p. 28. Lib. XXIV. C. VII.*

r) *Hist. Plant. Lib. IX. p. 1150.*

s) *de Herb. C. X.*

ipſam, de qua locuti ſumus, intelligamus. Plura de ARTEMISIA lecturus, euoluat CL. CHRISTIANVM AVENARIVM. [t]) Hoc quidem dubio caret, ARTEMISIAM aliquam, quaecunque illa demum fuerit, maximam ſibi medicinae ſtudio peperiſſe gloriam atque honorem. CLERICVS [u]) haec habet: *La fameuſe* ARTEMISE, *Reine de Carie, a auſſi eu la reputation d' entendre la même art.*

§. XIV.

ASPASIAM MVLIERIBVS quoque MEDICIS iure meritoque annumerandam eſſe, praeter alios, AETIVM praeſertim teſtem hanc in rem cito. Plurima enim fragmenta de illa, quae de *cura praegnantibus et aegre parientibus adhibenda, de foetum corrumpentibus, de menſtruis ſuppreſſis, de reclinatione ac recurſu vteri, de cura circa vteri nomas, de hernia aquoſa, et varicoſa mulierum, de condylomatibus*, luculenter ſatis exponunt, AETIVS in *contracta ex veteribus medicina* exhibet. Non deſunt aliae mulieres eruditae, quae eodem clarae nomine, *ſapientesque et elegantes* a XENOPHONTE vocatae ſunt. Sed praecipue laudatur Mileſia quaedam, qua Socrates et Pericles in eloquentiae ſtudio magiſtra ſunt vſi: et altera Phocenſis, quae in Perſidem delata, Cyri primum, deinde Artaxerxis amorem meruit. Vtri vero potiſſimum artis obſtetriciae ac medicae notitia ſit attribuenda, quum definiri nequeat, [v]) cum TIRAQVELLO non

t) *diſſert. de ARTEMISIA et MAVSOLEO, Lipſ.* cIↃ IↃ CCXIV. *habita.*

u) *Hiſt. de la medicin. p. 432.*

v) De ASPASIA noſtro aeuo ſcripſerunt multi. Nec PETRVS BAELIVS in *dictionario critico* omiſit tam celebre nomen. Quum vero non ſatisfecerit omnibus, vir, neſcio quis, perdoctus ſuperiori anno in lucem ſcriptum emiſit gallicum, cui index praefixus eſt: *Hiſtoire des deux Aſpaſies, à Amſterdam, 1737. 12.* Nihil hic in medium attulit, ex quo alterutra poſſit vindicari medicis, qui nec magnopere de eo laborabunt, ſi SVIDAE fidem habuerint, ſcribenti: ΄ΑΣΠΑΣΊΑΙ, *δύο ἑταῖραι.* ASPASIAE, *duae meretrices.* Omnino videtur

non niſi hoc vnum prae me fero, ASPASIAM aliquam, ſiue SOCRATIS et PERICLIS magiſtra, ſiue Phocenſis, ſiue denique alia iunior fuerit, MVLIEREM MEDICAM fuiſſe. Nec enim video, cur vnius AETII teſtimonium hac in re plane ſpernendum eſſe videatur.

§. XV.

Accedo, his expoſitis, ordinem ſemel delectum obſeruaturus, ad LVDOVICAM BVRGERIAM, quam artem potiſſimum obſtetriciam probe calluiſſe, conſtat. Nonnulla enim de ipſius hac in arte peritia extant monimenta, typis exſcripta. In his liber gallica conſcriptus lingua, qui hunc habet indicem: *Obſervations ſur la ſterilité, perte de fruit, fecondité, accouchements et maladies des femmes.* Hic liber ita eſt approbatus, vt Belgica quoque lingua Lugduni Batauorum A. P. C. N. CIↃIↃCC in publicum prodierit. w) Nec non, cum obſtetricis munere apud reginam Galliae functa ſit, libellum alium, indice: *Obſervations de Louyſe Bourgeois, ſage femme de la Reine*, notatum edidit, quem poſtea nouus et ab his diuerſus ſecutus eſt, qui *Secrets pour les Maladies des Femmes* inſcribitur. Tandem librum etiam germanico ſermone loquentem et nomine eius indicatum habemus, qui quatuor Tomis continetur, ac non niſi de arte obſtetricia exponit. BVRGERIA igitur, his, quibus inclaruit, ingenii monimentis meruit, quae MEDICAS inter MVLIERES locum non poſtremum obtineat, atque obſtetricum nobilitati, quam PLINIVS x) celebrat, adiungatur.

C §. XVI.

videtur iunior vtraque illa eſſe, ex cuius ſcriptis ſua hauſit et ad noſtram aetatem transmiſit AETIVS.

w) Louiſe Bourgeoiſe *Aanmerkingen over de Onvrugtbarkeit, Misvallen, Vrugtbarkeit, Kinderbaren en Siektens der Vrouwen.*

x) *Hiſt. natur. Lib. XXXIII. 6.*

§. XVI.

ELISABETHA CANTZI, Comes, illuſtrem ſibi famam hoc edito peperit libello: *Enchiridion rararum et praeſtantiſſimarum medicinarum.* Anglico vſa eſt ſermone, libellique indicem inferius in ora ſubiiciam. [y]) Hunc ex Anglico germanice vertit IO. CASP. GRIMMIVS. [z]) ISABELLA CORTESIA circa finem ſaeculi XVI floruit, atque ſcriptis, quae ſecretas artes, ac mirabilia, ex medicina, tam clinica, quam chirurgica, quin alchymica etiam, minantur, famam adepta eſt. Italiae ortum ſuum debuit, atque lingua genti huic vernacula ſcripſit. Indicem pro popularibus ſuis hunc fecit: *Varietá di Secreti d'* ISABELLA CORTESI; quem legi in editione Venetiis emiſſa A. CIↃIↃCXIV. Germanicas editiones videas ab A. CIↃIↃXCII et CIↃIↃXCVI, atque hoc vltimo binis ſimul locis emiſſas, et magnifico titulo ornatas. Sed turpem deſinit in piſcem mulier formoſa ſuperne, quando odoriferi ſapones, ambrata poma, et quae alia iactant

Ambubaiarum collegia, pharmacopolae,

phalerarum loco oſtentat, ſaeculo ſcilicet ſuo non omnino ingrata et iniucunda.

§. XVII.

CIRCEN ordo aduocat; de qua paucis dicam verbis. Nam

Cui non dictus Hylas?

Fabula eſt, Herculem, quum ab inferis Cerberum tricipitem canem adduxiſſet, ad hanc lucem rediiſſe in ora ponti Euxini,

y) *A choiſe Manual, or, rare ſecrets in Phyſick, and Chirurgery, Eliſabeth late Counteſſ of Kent, London cIↃIↃcLXX. 12.*

z) *Eliſabethae Gräfin von Kent Handbüchlein rarer und ſonderbahrer Artzneyen, aus dem Engl. durch Ioh. Caſp. Grimm, Leipzig. cIↃIↃcc. 12. ibid. cIↃIↃccXII. 12. ibid. cIↃIↃccXIII. 12.*

ni, vbi proximus sit ad inferos traiectus; tunc Cerberum, prae lucis insuetae taedio, euomuisse virus, quod in plantas eius regionis migrauerit. Haec caussa esse fingitur, quam ob rem aconitum nullibi magis, quam ibi, pestiferum, et Colchicum venenum hodieque celebretur. Quin etiam hinc factum esse scribunt, vt illius tractus incolae venenorum studioso scrutinio sese darent; et antiquissimis temporibus scientia illorum famam, abusu vero infamiam consequerentur. *Hecate*, coniux Aeetae, Colchorum regis: atque ex hoc coniugio natae CIRCE cum sorore *Medea*. Veterum testimonia requirentes iuuabunt CHRISTOPHORVS CELLARIVS, [a]) et eius hodie successor, quem iam laudaui, SCHVLZIVS. [b]) CIRCE plantarum nocentium cognitione ad hominum fere perniciem toties abusa, tantum non apud omnes male audit: quamquam HOMERVS [c]) eam, δῖαν Θεάων, *diuam dearum* vocans, inuidendo elogio mactat, et narrationem de ea institutam ita absoluit, vt nihil ignorasse videatur, quod vel maxime vnquam viribus veneficarum tributum fuit, quodque ab incantationibus proficisci possit. Notum est, quam multi has poetarum fabulas ad coniecturas historicae fidei propiores reuocare anniſi sint; ad quorum scripta remittere curiosum lectorem liceat. Illud facile intelligitur, quantae res difficultatis plena sit ex his fabularum velis eruere, quicquid historicae veritatis subest. Si fuit CIRCE regis Aeetae vel filia, vel vxor, oportet, vt ea vixerit, et iam aetate fere confecta fuerit iis temporibus, quae Argonautica expeditio clara reddidit. Sed eandem, confe-

a) *Notit. orb. antiqu. Tom. II. p. 252. edit. Lipſ. cIↃIↃccXXXII.*

b) *Hiſt. med. pag. 100. 101.*

c) *Odyſſ. K. verſ. 400. et 487.* qui et superius *verſ. 136. ſequ.* eam non filiam, sed sororem Aeetae regis dicit, matrem vero perhibet Perſen, Oceani filiam, Solis coniugem. Alia est genealogia, quam sequitur DIODOR. SICVL. *Lib. IV. p. 248. edit. Rhodom.* quam et nos supra assumsimus.

cto iam bello Troiano, quod ſeptuaginta annis ſerius incidit, viuentem et ita vegetam fuiſſe, HOMERVS canit, vt non ſolum rei familiaris occupationibus ſatisfaceret, ſed et amoribus indulgeret, et ad eos Vlyſſem alliceret. Certe ſi hic tempora rurſus ad calculos reuocemus, addamusque initiis belli illos decem annos, quibus durauit, et ex decem illis, quibus Vlyſſes vagatus eſt, nouem, quos colligimus ex HOMERI narrationibus; non minor centum tunc annis eſſe potuit, quum ex Vlyſſe filium Telegonum, patris ſui tandem interfectorem, conciperet. Pertinet illuc celebris quaeſtio: an herbarum viribus ſenium pellere et iuuentutem ſibi reddere potuerit? Poetae id quidem fingunt, quibus fidem adiungant alii, quibus placet. Mihi quidem haec eſt ſententia, fuiſſe apud barbaras, quas Graeci vocabant, gentes antiquiorem aliquam medicinam empiricam, antequam Graeci feritatem exuerunt et bonis ſcientiis excolendis animum adiecerunt: idque teſtatum facere voluiſſe poetas, quando toties medicos MEDICASque commemorant, quibuscum verſati Graeci aliquid de re medica fuerunt adepti.

§. XVIII.

Succedit CLEOPATRA, Aegypti regum ex Lagidarum ſtirpe vltima propago, et M. ANTONII, Triumuiri Romanorum, qui libertatem rei publicae non mediocriter labefactarunt, ſed funditus euerterunt, non poſtremi, amoribus celeberrima. [d]) Huius quidem ſtudium maximum, quo illam medicae ſcientiae partem, quae venena, quotquot ore ſumta necant, aut ab animalibus morſu infliguntur, venata fuit, teſtatiſſimum facit PLVTARCHVS. [e]) Sed videtur fere non ante de illo multum ea cogitaſſe, quam vbi, ſuis et

ANTO-

d) vid. *diſſ. de M. Antonii Triumuiri Timonio*, ſub praeſidio S. R. IOECHERI noſtri ſuperiori anno hic habita, p. 14. ſ.

e) in *vita Antonii p. 449. ed. Francof. cIↃIↃcXX.*

ANTONII rebus in ſummam deſperationem adductis, illam *commorientium ſocietatem*, τὴν σύνοδον τῶν συναποθνησκόντων inſtituerat. Atque hanc ob cauſſam tanquam ὀψοδίδακτον eam et eo loco habendam eſſe decerneremus, quo ii, quibus deſperatio ad medicinam aditum patefacit, haberi merentur, niſi PLINIVS [f]) nobis ſuccurreret, nosque doceret, quod non ſolum illa, quae deſperati aut ſumme malitioſi quaerunt, calluerit, verum etiam ex interioribus artis chemicae pridem aliqua diſcere voluerit. Longam ac elegantem rei geſtae narrationem apud ipſum auctorem legiſſe iuuabit: ego rem in pauca conferam. Quum inter ſe certarent ANTONIVS et CLEOPATRA luxurioſis et ſumtuoſis conuiuiis: CLEOPATRA aliquando inferri menſam ſecundam iubebat, in qua, ex praecepto, vnicum tantum vas poſuerunt miniſtri, aceto plenum, cuius aſperitate vique in tabem margaritae reſolui poſſent. In illud detractum auribus ſuis immenſi pretii vnionem merſit, liquatumque ſorbuit. Oportet ſane haud vulgare illud acetum fuiſſe, ſed artis deſtillatoriae ope paratum, ipſamque reginam iam ante experimentum feciſſe, quoniam, ſponſione ante facta, ſemet tam ſumtuoſis dapibus parandis obſtrinxerat.

§. XVIIII.

Hactenus ea in medium a me allata eſſe videntur, quae non omnino aliena a perſona reginae exiſtimari debeant. Enim vero ſuperſunt, qui nomine eius circumferuntur, libri, quorum ſpurii natales non poſſunt non in oculos eorum, qui in critica verſati ſunt arte, incurrere. Sic exſtant *de morbis mulierum* aliqua, quae in *harmonia gynaeciorum*, [g]) auctore CASPARO WOLPHIO Tigurino publicata ſunt.

 Mira-

f) *Hiſt. Nat. Lib. IX. Cap. 35.*

g) *Gynaeciorum Baſil. cIↃIↃLXXXVI.* *apud Thom. Guarinum* iunctim editorum *Tom. I. pag. 1.*

Miraberis haud dubie, in priori, quem nominaui, libro eandem inueniri praefationem, quae in THEODORI PRISCIANI commentatione, de eodem argumento praecipiente, legitur. Posteriori autem libro praefixum prologum percurrenti, a quocunque potius alio, quam Regina et CLEOPATRA, profectum id opus videbitur. Quis enim credat, Aegypti reginam Graecum opus in latinum conuertere aut voluisse, aut valuisse? quis conuersum deinde sub iurisiurandi fide, ne ad alios perueniat, dari priuatae cuidam a regina exspectet? Putesne praeterea, hoc regium quiddam esse, de arcano, sub iurata fide credito, iactitare? Quin etiam descriptum illud populo tradere, vt memoria reginae scriptricis, beneficio huius artis, apud feminas non intermoriatur? Equidem nullus dubito, quin fictum reginae nomen in operis indice hac mente notatum sit, vt obscuriora isthaec tempora gratiam hinc aliquam et commendationem eidem conciliarent. Iam porro, quale pretium illis medicinis, quae sub CLEOPATRAE nomine apud GALENVM [h]) citantur, ponendum sit, a nobis data opera dispiciendum erit. Non temere alias illic inuenies, quam quae ad ornatum corporis faciunt, et quas *κοσμητικὰς* vocant medici. Quae quidem pleraeque omnes vt ineptiae sint: eripi tamen feminis curam cultus sui non posse, cum CORNELIO CELSO [i]) existimabimus. Solenne enim his esse solet, vt, dum moliuntur atque comuntur, annus sit. [k]) Ceterum GALENVS promiscue atque indefinite tantum CLEOPATRAE cuidam talia tribuit, neque eius vel aetatem, vel patriam, vel eminentis dignitatis aliquam notam adiicit. Vt idcirco ad reginam CLEOPATRAM dicta eius reuocari cum certis rationum

h) Operum graece *edit. Basil. cIↃ IↃ XXXVIII. apud Cratandr. Tom. II. p. 156. de compos. medic. sec. loc. lib. I. cap. I.*

i) *Lib. VI. Cap. 5.*

k) *Terent. Heautont. Act. II. Sc. I. v. 11.*

num momentis non poſſint. AETIVS [l]) eadem incerta enarrandi vſus eſt ratione. Quum vero reginis multae mulieres eſſent, quibus capillorum comendorum, faciei ornandae, et reliqui cultus corporis ſui, cura commiſſa erat: non facile crediderim, ipſam reginam horas nobilioribus curis deſtinatas hisce vilioribus impendiſſe. Quocirca non inuitus, fateor, aſſentior iis, qui omne id genus ſcriptorum alii cuidam CLEOPATRAE tribuendum arbitrantur.

§. XX.

CYBELES, quam priſcus error in deorum numerum recepit, variisque nominibus denotauit, tam eſt varia, tamque late patens, mythologiae portio, vt longus eſſet ſermo nectendus, ſi referenda ſint, quae apud plures auctores de hoc numine leguntur. Ego vero illos, qui talia recognoſcere cupiunt, breuitatis cauſſa nunc delego ad LIL. GREGOR. GYRALDVM. [m]) Aliquantulum magis conſpicuam humanitatem eius ortumque proponit DIODOR. SICVLVS, [n]) ex quo aliqua huc exſcribam, vnde iudicari poſſit, num bene an male inter MVLIERES MEDICAS referatur. *Natales*, inquit, *deae huius Phrygiae adſcribuntur*. Narrat deinceps, vt in monte Cybelo expoſitam et a feris nutritam mulieres inuenerint, et educauerint, atque deinde ſic pergit: *puella viribus et annis aucta, pulchritudine et continentia, ingeniique vigore, mirifice excelluit. - - Ad haec pecorum et infantium morbos purgationibus abigere docuit. Ob ſingularem igitur diligentiam et beneuolae mentis affectionem erga pueros, quos per incantationem ſanitati redderet et crebro in vlnis foueret, montana mater appellata fuit.* Inte-

l) *Lib. VI. Cap. 56. Ed. Graec. Aldin. p. 114. b.*
m) *Hiſt. deor. Syntagm. IV. p. 137. ſqq. ed. Lugd. Batau. cIↃIↃCXCVI.*
n) *Bibl. Hiſtor. lib. III. pag. 191. edit. Laur. Rhodomanni.*

Interius in hiſtoriam CYBELES nos ducit idem auctor,[o]) quando Samothracum res antiquiſſimas proſequens, oſtendit, Cadmi Phoenicis, eius, qui Thebas condidit, temporibus eam vixiſſe.

§. XXI.

DIANA, quae a Graecis Ἄρτεμὶς, Vpis, Hecate vocatur, ita fabularum tenebris oppreſſa eſt, vt eius vix hiſtoriam reperire liceat. Ita vero haec ipſa non minus vt MVLIER MEDICA, quam numen medicum, priſco quidem errore fictum et cultum, hic locum ſibi aliquem vindicabit. Sed et hic explicandae accuratius mythologiae negotium nobis non putamus datum eſſe. Hanc autem qui cupit, is abunde multum, quod hauriat, inueniet apud modo laudatum GYRALDVM.[p]) Medica eius merita et officia paucis tradam ex PHVRNVTO:[q]) *Hanc precantur ſibi occurrere placidam parturientes, petuntque, vt ſinus conſtrictos leuiter ſoluat, facilemque minusque laborioſum largiatur partum.* Et paullo ante haec ſcribit: *Finxerunt quoque veteres lunam*, DIANAM, *pollui;* cum quibus coniungo haec verba: *propter aliam cauſſam parturientibus praeeſſe* creditur. Ex quo ita puto colligendum, veteres olim lunam, quam virginem vocabant, tempore nouilunii, quo non apparet, quaſi menſtruatam et pollutam feminam ſibi finxiſſe, quae non audeat prodire, ſed domi deſideat. Vnde apud veteres non inuſitatum eſt, vt menſtruatae vocentur ἀποκαθημένας.[r]) Qua voce ſanctioris veteris foederis Codicis LXX, vti numerantur, interpretes vſi ſunt, vbi in ſacra lingua exſtabat vocabulum, quod, omnes vocum Hebraicarum explanatores pollutum eſſe interpretantur. Plura de nominibus DIANAE, quae ad rem medicam

o) *Ibid. Lib. V. p. 322.*
p) *Syntagmate XII. p. 356. ſeqq.*
q) *de natur. deor. cap. 34.*
r) *Leuitic. XV, 32. confer cap. XX, 18. et Ieſaiae XXX, 22.*

dicam ſpectant, vide, ſi placet, apud Celeb. SCHVLZIVM, qui et alios auctores, vt ſolet, indicauit. Antea diximus, dubium eſſe, vtrum herba Artemiſia potius a DIANA, an ab ARTEMIDE, Cariae regina, nomen acceperit. Nunc illud tantum addimus, fuiſſe DIANAM, partus praeſidem, nomine etiam *Lucinae*, Graeco Εἰλείθυίας, quod HORATIVS [s]) latine canens retinet, celebratam.

§. XXII.

ELEPHANTIS inter FEMINAS MEDICAS referri iam pridem meruit, quoniam aliqua ſcripta reliquit, quae ornatui corporis, et corrigendis vitiis, pulcritudinem naturalem corrumpentibus, inſeruiunt. His quidem vti antiqui medici non dubitarunt, vt de *Sorano* teſtatum facit GALENVS. [t]) Sitne haec eadem illa, a qua auctore laſciui iſti libri, quos SVIDAS [u]) attingit, profecti ſint, equidem neſcio.

s) *carmin. ſaecular. verſ. 14.* vbi dubitari nequit, quin id nomen ad DIANAM pertineat, quoniam primo verſu eam alloquitur.

t) *de compoſ. medicam. ſec. loc. Lib. I. Cap. I. Sect. X.* Non poſſum, quin ad me excuſandum, qui in turba MVLIERVM MEDICARVM etiam comtrices et ornatrices numeraui, ex hoc auctore aliqua exhibeam, quae eiusdem libri *Capite III. ſect. III.* leguntur: *horum mentionem ob id feci, vt oſtenderem, neceſſario quosdam etiam honeſtiſſimos viros talium ſibi comtoriorum experientiam parare. Quando enim Archigenes haec ſcribere non eſt veritus, multo amplior venia Critoni danda eſt, qui in imperatoriis aedibus eſt medicatus.* Interiectis deinde aliquibus ita pergit: *Quamquam vel maxime cognita habeam ſmegmata corpori nitorem inducentia, itemque quae in virginibus mamillas conſeruant, et quae impuberum puerorum teſticulos ad multum tempus paruos conſeruant, ſimiliterque quae pilorum exortus cohibent: Verecundos tamen eiusmodi ſcribere, atque multo magis eas, quas Crito tradidit, conſperſiones veſtium aromaticas, odoratasque veſtium infectiones, et aſperſiones thalamorum et ambulacrorum: ſuffimentorum item omnis generis varietates, illitionumque et vnguentorum. Extra enim medicinae documenta talia exiſtunt.*

u) In voce Ἀσυνάστα de hac refert, quod prima varios coeundi et concumbendi modos inuenerit, et de iisdem

ſcio. Neque ſane propter hos eam in ſerie MVLIERVM MEDICARVM, ſed propter illos, quos primo loco nominaui, libros in hoc cenſu eam ſaltem tolerandam eſſe, exiſtimo. Laudat CORNELIVS CELSVS [v]) elephantinum emplaſtrum, de quo ita ſcribit: *Eſt autem ea percandida compoſitio, ideoque elephantina nominatur.* Ex quo patet, id nomen non eſſe ex eo, quod ELEPHANTIS illud emplaſtrum inuenerit, ſed quod candore ebur aequare videatur. Graeci enim ebur ἐλέφαντα nominabant; id quod paucos fugiet. Eandeml onge grauiſſimi criminis ream PLINIVS [w]) agit, quippe qui, artem pocula abortionis parandi illam docuiſſe, auctor eſt; quamquam id quidem homicidii deteſtandum genus apud deorum cultores quibusdam in cauſſis minus reprehendi ſolebat.

§. XXIII.

EPIONE, quam Graeci ἩΠΙΟΝΗ ſcribunt, nomen habet ab ἤπιος *blandus, lenis.* *Herculis* filia et VXOR *Aeſculapii* fuiſſe perhibetur. PAVSANIAS [x]) *fanum Aeſculapii* iisdem ſcripſerit: hanc vero poſtea imitatas fuiſſe PHILAENIDEM et ELEPHANTINEM, quae et ipſae obſcoena eiusmodi flagitia euulgauerint; quae paganis hominibus iuſte exprobrauit TATIANVS *orat. ad Graecos p. 122. edit. Oxon. cIↃIↃcc.* Videndum itaque, ſitne ELEPHANTINE haec SVIDAE et ceterorum ELEPHANTIS vna eademque mulier. Eſſe ſane, inde probabile fit, quia modo laudatus TATIANVS PHILAENIDEM et ELEPHANTIDEM coniungit. Si non ſint diuerſae; dubitari tamen poſſe videtur, an certum ſatis ſit, quod eiusmodi libri ſint ab illis, quarum nomine in indice denotantur. Notum eſt, quanta iniuria facta ſit ALOYSIAE SIGAEAE a quodam, qui a ſe compoſitum impuriſſimum librum honeſtiſſimae feminae attribuit.

v) *Lib. V. Cap. 19. 24.*

w) *Lib. XXVIII. Cap. 7.* coniungitur ibi cum *Laide*, parum honeſtae famae muliere. Eſt antiqua PLINII editio Venet. MCCCCXCVII impreſſa per *Bernardinum Benalium*, qua hic locus ſic legitur: *quae Lais et Cleophantus inter ſe contraria prodidere de abortiuis, cetera.* Sed vix dubitare licet, fuiſſe nomen ab imperito ſcriba deprauatum.

x) *Deſcription. Graeciae Lib. II. Cap. XXIX. pag. 177. edit. Lipſ.*

ſculapii apud Epidaurios exſtructum adducit, *in quo ipſius dei et* EPIONES *ſigna fuerint*, et de hac addit: EPIONEM *vxorem fuiſſe Aeſculapii memorant.* Idem antea [y]) meminit luci cuiusdam apud *Epidaurios*, in quo fuerit *Dianae* fanum et EPIONES ſimulacrum; quem locum interpres male ita reddidit, vt EPIONES nomen cognomentum fuiſſe *Dianae* exiſtimes, addita hac deriuationis ratione: *ex eo fortaſſe, quod morbos mitigare hoc numen credatur.* In epiſtola, quae HIPPOCRATIS operibus ſubiicitur, [z]) tamquam a *Senatu Populoque Abderitano* ad *Hippocratem* miſſa, vt ad curandum *Democritum* adueniat, iſta legimus: ἴθι οὖν μετὰ Ἀσκληπιοῦ πατρὸς, ἴθι μετὰ Ἡρακλέους, Θυγατρὸς Ἠπιόνης. Quae quidem verba ſic eſſent e Graeco in Latinum vertenda: *Adeſto igitur cum Aeſculapio patre, cum Hercule, filia* EPIONE. Sed praua eſt illius loci interpunctio, et de medio tollenda, vt conueniat adiunctae verſioni: *cum filia Herculis* EPIONE.

§. XXIV.

FABVLLAM indici MEDICARVM MVLIERVM iamdudum inſertam inuenimus apud TIRAQVELLVM. Si mihi diligenter omnia circumſpicienti fraudem non fecerunt oculi, nuſpiam eam deprehendi poſſe exiſtimo, praeterquam apud GALENVM binis locis, [a]) qui tamen, vt IANVS CORNARIVS [b]) iam obſeruauit, neſcio quo caſu, eandem rem iisdem fere verbis proponunt, vt non niſi pro vnico haberi mereantur. Scribitur autem ibi in hunc modum: Μάλαγμα Ἀντιοχίδου ἐσκευάσθη φαβίλλῃ Λιβυκῇ. Haec verba non vni interpretationi patent. Intelligi etenim poteſt mala-

y) *Ibid. Cap. XXVII. p. 174.*
z) *Edit. Genev. cIↃIↃcLXII. p. 1274.*
a) *Compoſ. pharmac. ſec. loc. Lib. IX. cap. 2. ſect. VI. et Lib. X. cap. 2. ſect. III.*
b) *Commentar. in praedict. Lib.* GALENI *pag. 546. edit. Froben. cIↃIↃXXXVII. fol.*

gma hoc ab ANTIOCHIDE, MVLIERE MEDICA, paratum et adhibitum fuisse FABVLLAE LYBICAE. Sed et graecus sermo hanc explicationem admittit, esse hoc malagma ab ANTIOCHIDE inuentum, sed a FABVLLA frequenter in vsum vocatum. Quod si priori sensu verba interpreteris, FABVLLA tanquam aegrota, cui haec medela profuit, e mulierum in medicina vel docenda vel facienda occupatarum, numero excidit. Atque hoc sibi vult CORNARIVS, qui etiam vocabulum Λιβυκῆ sollicitat, legendumque putat Λιβίῃ, latine *Liuiae*. Atque licet ipsi in hoc posteriori assensum facile praebuero; quum nominis Romani maiorem similitudinem sic intueri videatur: nondum tamen inuenio, quid nos cogat, verba Graeca ambigua eo sensu explanare, vt FABVLLA ex indice MEDICARVM MVLIERVM eximenda sit.

§. XXV.

Vocat nos ad se femina honestissima et nobilissimae inter Gallos stirpis, FOVQVETIA, cuius industriae debemus librum elegantem et lucernam olentem. Collegit enim et in vnum volumen redegit, quae parabiliora ex domesticis rebus omni morborum ingruentium generi opponi possint, remedia, atque his experimenta varia, quorum successus notauerat, addidit et in commentarios suos retulit, qui ita inscribuntur: *Recueil et Suite des Remedes faciles et domestiques, choisies, experimentez et approuvez par toutes sortes des maladies internes et externes et difficiles a guerir, II. Tomes a Paris cIcIↃccI.* Saepius ab eo tempore in Gallia et apud Batauos repetitum est hoc opus, et in Germanicam etiam linguam translatum [c]) prostat.

§. XXVI.

c) Verba, quae librum indicant, haec sunt: *Artzney-Buch nützlicher Hauſs-Mittel und bewährteſter Medicamente vor allerhand Kranckheiten nebſt einem Tractat von der Milch-Cur, aus dem Frantzöſiſchen. Dreſden cIↃIↃccVIII. 8uo.*

§. XXVI.

De HECATE nos dixiſſe videri poſſumus, quum de DIANA ſermo nobis eſſet. Sed alia fabula HECATEN filiam facit *Perſae, Solis filii*, quae deinceps *Aeetae Colchorum regi* nupta mater *Circes* et *Medeae* facta ſit. De ea ſic reliquit ſcriptum DIODORVS SICVLVS: [d]) *Ex Perſa* HECATE *genita eſt, audacia et immanitate patrem anteueniens. Venationi enim dedita, ſi nihil praedae caperet, pro beſtiis homines iaculis conficiebat. In mortiferis quoque pharmacis ſolerter componendis exercitata, aconitum, quod vocant, inuenit. Ac de cuiusque natura et efficacitate ita experimentum cepit, ſi cibis hoſpitum illud admiſceret. Hinc magnam conſecuta peritiam, primo patrem veneno exſtinxit, ſibique regnum vſurpauit: deinde fanum Dianae exſtruxit, ad quod hoſpites nauibus appulſos pro victimis deae ſacrificari inſtituit; crudelitatis nomine vbique celebris. Aeetae poſtea nupta, duas ei natas,* CIRCEN *et* MEDEAM, *filiumque Aegialeum peperit.* Alii aliam originem ipſi aſſignant, patrem quidem tribuentes *Iouem*, matrem modo *Aſterien*, modo *Cererem*, mox *Proſerpinam*, et, quas non alias? Equidem has lites componere non audebo, ſed nulli non ſpondeo, me ſuo quemque ſenſu abundare facile pati. Liceat mihi talia cupientem remittere ad ſaepius laudatum LIL. GREG. GYRALDVM, [e]) aut NATALEM COMITEM. [f]) Nobis ſufficit indicaſſe, quod Graeci fere ita conſueuerint, vt HECATES opera omnia atrocia et terribilia deſcribant; DIANAE vero magis humana et ſalutaria. Hinc veteres in arte venefica ad ſummum excultam ſic deſcribunt cum TIBVLLO: [g])

d) *Bibl. Hiſtor. Lib. IV. pag. 248. edit. Rhodom.*
e) *Hiſt. Deor. Syntagm. XII. pag. 356.*
f) *Mythol. Lib. III. Cap. XV.*
g) *Eleg. II. Lib. I. v. 51. ſeqq.*

Sola tenere malas Medeae dicitur artes:
Sola feros Hecates perdomuisse canes.

Quod autem a DIANA sit nomine quidem, non vero ipsa re diuersa, et tantum pro varia gentium vel magis barbararum vel magis cultarum persuasione per multorum ora volitauerit: cum ex multis probari potest, tum maxime ex VIRGILIO, qui ita canit: [h])

Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianae.

§. XXVII.

HERCYNE inter Boeotios eodem loco habebatur, quo apud alias Graecorum gentes *Hygea*, quemadmodum ipsis pro *Aesculapio* fuisse videtur *Trophonius*, qui HERCYNES fuisse dicitur maritus. Obseruauit hoc SCHVLZIVS [i]) quod in tota Boeotia nec vnicum fanum aut simulacrum *Aesculapii* commemoretur: quum in reliqua Graecia vix mediocre oppidum sine his fuerit. Simulacra *Trophonii* et HERCYNES faciebant, vt essent *Aesculapio* et *Hygeae* similima, teste PAVSANIA, [k]) et in antrum *Trophonii* somniorum ac oraculorum caussa descendebant. *Trophonium* istum esse *Mercurium*, CICERO [l]) nos docet. Quod autem

h) *Aeneid. IV. v. 511.*
i) *Hist. med. pag. 128. §. 10. 11.*
k) *Lib. IX. Cap. XXXIX. pag. 789.*
l) *de nat. deor. III. Cap. 22.* Ex eodem libro, et capite eius *19.* petimus fundamentum HERCYNEN, quae pro numine culta fuit, inter MVLIERES etiam MEDICAS referendi. *An*, inquit, *Amphiaraus deus erit, et Trophonius? nostri quidem publicani, cum essent agri in Boeotia deorum immortalium excepti lege censoria,* negabant immortales esse vllos, QVI ALIQVANDO HOMINES *fuissent.* Facile apparet, eandem, quae de marito, etiam de vxore rationem valere debere. Contra CICERONEM, qui *Trophonium* et *Mercurium* eosdem facit, sentire videtur PHILOSTRATVS de vita Apollonii Tyan. *Lib. VIII. Cap. 19.* quando *Trophonium Apollinis* filium dicit. Sed mea nunc parum refert, quicquid de hoc cuiquam placuerit, quippe quum non tam de *Trophonio*, quam de HERCYNE, nunc dicendum fuerit.

autem HERCYNE minus litterarum monimentis celebratur, quam *Hygea*, hanc cauſſam eſſe puto, quia cultores habuit Boeotios, homines tantum non omnes pingui et craſſo ingenio, et a litteris alieniores.

§. XXVIII.

Accedimus ad nobiliſſimam feminam Germanicae proſapiae, praecipuo loco natam, et optime educatam, quae HILDEGARDIS vocatur. Haec mature ſemet virginitati perpetuae conſecrauit et clauſtrorum monialium legibus ſeſe adſtringi paſſa eſt, vt pietatis quotidiano exercitio, bonarumque litterarum, quibus vnice delectabatur, ſtudiis colendis tanto quietius vacare poſſet. Sanctum vitae inſtitutum, et conſpicua inter omnes doctrina, eam tantopere commendauerunt, vt et viua ab omnibus ſuſpiceretur, atque ſacrarum virginum, quae S. RVPERTI coenobium prope *Bingiam*, quam olim *Pinguiam* ſcribebant, incolunt, Antiſtes eſſet, et morte tandem defuncta inter ſanctos referretur. Vita deceſſit A. P. C. N. CIↃCLXXX. Reliquit ingenii ſui et induſtriae monimenta varii argumenti: ſed ad nos maxime pertinent libri eius IV *de rerum natura*, qui ſaepius formis deſcripti ſunt. In his, PLINII exemplo, ſicuti titulus eius editionis, quam nouiſſimam puto,[m]) indicat, variis de rebus naturalibus praecepit, vt *de elementorum, fluminum aliquot Germaniae, metallorum, leguminum, fruticum, herbarum, arborum, arbuſtorum, piſcium, volatilium, et animantium terrae naturis et operationibus.*

§. XXIX.

m) Ea prodiit Argentorati apud *Iohannem Schottum cIↃIↃXLIV. fol.* Vidi antiquiorem ſaeculo XV emiſſam. De antiquiore quadam S. HILDEGARDE, CAROLI M. coniuge, vide apud CARPZOVIVM de *medicis ab eccleſia pro ſanctis habitis* §. *XV. p. 17.* et BRVSCHIVM *in chronolog. monaſterior. German. p. m. 95. ſeqq.*

§. XXIX.

HYGIA, quae et HYGEIA Graece Ὑγεῖα ſcribitur, inter *Aeſculapii* filias omnium maxime nominata eſt, et quam ſaepiſſime in veterum libris occurrit. Nusquam certe obſeruabis, in recenſenda huius numinis familia hanc filiam omitti. Saepiſſime in numis et gemmis ſola parenti adiungitur. In iure quidem iurando *Hippocratis* initiandus ſacris medicinae, per *Apollinem*, *Aeſculapium*, HYGEAM et *Panaceam* iurat, ac fidem ſuam adſtringit praeceptori. Ampliſſimus hic nobis ſeſe aperit campus diſſerendi: ſed me propoſitae breuitati ſtudere oportet. ARISTIDES HYGEAM ſeorſim, prae ſororibus, ſic commendat: [n]) ἡ πάντων ἀντίῤῥοπος ἠπίων, ἧς δὴ παῖδες ἐπώνυμοι: *quae inſtar omnium numinum ob humanitatem celebratorum eſt, et filios habet a ſe cognominatos.* Videtur mihi ſane illud frequentiſſimum appoſitum φιλάνθρωπος, ante oculos poſitum habuiſſe, cuius vim et vſum eruditiſſima diſſertatione euoluit celeberrimus Altorfinae academiae polyhiſtor, CHRISTIAN. GOTTL. SCHWARZIVS. [o]) Illud autem de filiis eponymis, ſeu deae HYGEAE cognominibus, deducendum mihi videtur ad Hygienos, ὑγιεινοὺς, id eſt, medicos publica auctoritate gymnaſiis praefectos, vt hominibus, qui boni habitus comparandi cauſſa iſthic exercentur, conſiliis rectis adſint. De his videndus eſt medicus omnis antiquae doctrinae conſultiſſimus, ANTONIVS van DALE. [p]) Eadem ne ſit HYGEA Graeco-

n) *Operum a Paul. Stephano editorum Tom. I. p. 82.*

o) de AESCVLAPIO et HYGEA diis φιλανθρώποις. Altorfii cIↃIↃccXXV, cuius §. XIII. et XIV. de HYGEA ſeorſim tractant.

p) Diſſertationum antiquitatibus et marmoribus illuſtrandis inſeruientium octaua, *Cap. VIII.* ex qua paucula haec apponere liceat: *medicus, quatenus medicus, ad ſolos fere aegrotos pertinet, ipſorumque vitae conſeruationem, ſanitatisue reſtitutionem curat: ὑγιεινὸς vero ad athletas, vt ipſorum bono colori, habitui ac robori augendo ac conſeruandis prouideat, hincque illorum diaetae moderetur.*

Graecorum ac Romanorum *Salus* dea; disputatum est a SALOM. CELLARIO. [q])

§. XXX.

Quod in HYGEA nobis prouidendum fuit, ne dicendorum multitudine obrueremur; idem ne fiat de ISIDE, nunc expositurо cauendum mihi esse video. Tam multa enim nobis de hac MVLIERE MEDICA, numinibus a superstitiosa posteritate adscripta, apud DIODORVM SICVLVM, [r]) PLVTARCHVM, [s]) GISBERTVM CVPERVM, [t]) OLAVM BORRICHIVM, [u]) et historiae medicae auctores, DAN. CLERICVM, SCHVLZIVM, nec non apud medicorum principes, GALENVM, AETIVM ac PAVL. AEGINETAM, conseruata sunt et in medium allata, vt amplissimam scribendi materiam omnino haberet, qui singulari libro tractare de ea vellet. Ne itaque verbosius hoc fungamur labore, ex DIOD. SICVLO paucula huc transferemus: ISIN *multa sanitati hominum pharmaca inuenisse, Aegyptii tradunt, vtpote quae scientiae medicae fuerit peritissima, adeoque multa solerter excogitasse.* Habuisse eam in hoc studio adiutorem gnarum et industrium *Hermetem* tradunt, qui vsque adeo in interiora artis adyta penetrauerit, vt et ipsa interiora chemiae sacra panderet reginae et Aegyptiorum sacerdotibus, qui praecipue his digni viderentur. Id vt vero simile reddat, maxime laborauit BORRICHIVS. Post mortem diuini honores ipsi habiti sunt, quos meritis non solum in Aegypto tuita est, verum etiam ita amplificauit, vt ipsi per omnem

q) *Antiquitat. medic. Cap. III. §. 8.*

r) *Bibliothec. Historic. Lib. I. pag. 22.*

s) *Libello de Iside et Osiride.*

t) *in elegantissimo tractatu de Harpocrate.*

u) *in Hermetis et Aegyptiorum sapientia vindicata.*

omnem Graeciam, quin Romae etiam, cultus diis debitus exhiberetur. Iterum DIODORI vtar teſtimonio: *nunc quoque ad immortalitatem elata, ſanatione hominum maxime gaudet, et in ſomnis, ſi quis opem expetierit, manifeſtam numinis praeſentiam promtamque indigentibus bene merendi facultatem exhibet. In hoc aſſerendo totius prope orbis teſtimonio ſe niti, qui effuſis deam honoribus, ob praeſens in medicando numen, remuneretur.*

§. XXXI.

Atque haud fallit DIOD. SICVLVS, quando de ISIDIS, et qui fere cum ea ſemper coniungitur, *Serapidis* cultu longe lateque diffuſo ſcribit. Poſtquam enim temporibus regum *Ptolomaeorum* Aegyptus commerciis externarum gentium aperta fuit; religio etiam haec in illas praecipue vrbes, quas naues plurimae adire ſolebant, inuehi coepit. Indicem earum exhibet SCHVLZIVS. [v]) Romae etiam fuiſſe ISIDIS cultum, ſat multis teſtimoniis confici facile poſſet, numorumque fide confirmari, ſi in eo nunc in primis nobis elaborandum putaremus. Sed vix animum induco, illum ſaeculo P. C. N. primo publice permiſſum fuiſſe: de *Commodo* quidem Imperatore certum eſt, quod ſacra ISIDIS colendo AVCTOR PIETATIS haberi voluerit, teſte IO. VAILLANTIO. [w])

§. XXXII.

Sequitur LAIS, quae neſcio, ſitne eiusdem ordinis et exiſtimationis, quam quidem *Elephantis* meruit, de qua ſupra diximus. PLINIVS [x]) ambas coniungit. Quod ſi fuit eadem, faci-

v) *Hiſt. med. p. 40. 41.*

w) *Numiſm. Imper. Tom. II. pag. 190.* vbi numus cum hac inſcriptione adducitur.

x) *Lib. XXVIII. Cap. 7.* SVIDAS non aliam nouit LAIDEM, niſi illam meretricem, cuius extrema fata refert voce χειλάνη.

facile patiemur, eam excludi ex ordine MVLIERVM MEDICARVM; praeſertim quum non adeo magni momenti ſint, quae ex eius ſcriptis citata legimus, et ſuperſtitionem pleraque ſapiant.

§. XXXIII.

Vidi etiam LEOPARDAM quandam laudatam inter feminas, quae morborum remedia calluerunt et alios docuerunt. Auctor mihi eſt OCTAVIVS HORATIANVS, y) qui inter hydropis remedia poſuit vnum, quod ex corde lupi parandum ſit. Cuius conditionis ea fuerit, non licet cognoſcere: forte non melioris, quam illa, quae mox ſequitur, nomenclatoris vxor, a qua acceptum itidem ad hydropem medicamentum ibi legitur.

§. XXXIIII.

Progredimur nunc ad exponendum de femina longe celeberrima, MARIA SIBYLLA MERIANA, quae amore hiſtoriae naturalis, et excellenti dexteritate in pingendo aerique imagines incidendo, nomen immortale conſecuta eſt, totque monimentis, aetatem, vt coniicio, laturis, per omnes bibliothecas celebratur, vt de immortalitate memoriae ſuae ſatis ſecura eſſe poſſit. Et quamquam haec mulier nobile ſtudium non ad formae emendationem, aut obſtetricias artes, aut hydropis, febrium, ſcabiei, curationem conuertit, ſed naturae miracula in generatione et transformatione inſectorum, aliaque, quae ad hanc indagationem pertinent, ſcrutari et perquirere maluit: exiſtimo tamen, locum ipſi in choro medicae ſocietatis ampliſſimo ex iure, vt ſic dicam, praeſcriptionis eſſe relinquendum. Nam quum philoſophiam naturalem ex libris tantum et repetitione eo-

 rum,

y) *Lib. IV. ad* EVSEBIVM filium, *pag. 88. edit. Argentorat. apud Iohann. Schottum c Io Io XXXII. fol.*

rum, quae antiquiores dixerant aut ſcripſerant, philoſophi cathedrarii quondam traderent, experimenta autem vlterioris indagationis cauſſa facere ſuperuacaneum putarent: iam pridem factum eſt, vt anatome, [z]) et ad hanc pertinentes inquiſitiones naturae, itemque philoſophia per ignem ſeu chemia, deſertae a philoſophis, apud medicos liberaliter exceptae habitarent, ipſorumque familiae adſcriberentur. Perfecit certe MERIANA noſtra idem negotium, quod medici primi ordinis celeberrimique nominis, MALPIGHIVS, SVAMMERDAMIVS, VALLISNERVS: neque illorum ſcriptis innutritus quisquam dubitabit, magnam ſane copiam optimarum doctrinarum ex iſto ſtudio ad phyſiologiam, atque in primis ad negotium generationis rectius introſpiciendum, fuiſſe noſtro aeuo collectam; neque pathologiam carere iſtiusmodi doctrinis poſſe, manifeſtum cuique erit, qui in votis habebit, vt helminthologia ſatis intricata certior aliquando euadat.

§. XXXV.

Sed redeundum eſt ad MARIAM SIBYLLAM MERIANAM, quae Francofurti ad Moenum in lucem edita eſt, patre MATTHAEO MERIANO, celeberrimo chalcographo. A prima aetate ingenium manumque exercuit pingendo et caelando, atque in primis delectata fuit, quum mirabiles metamorphoſes bombycum, earum ex ouulis exiguis generationem, incrementa, mutationem in chryſalidem, hinc in papilionem contemplaretur. Non ſolum itaque tam diuer-

z) Satis clarum eſt teſtimonium MACROBII *Saturnal. VII. Cap. 15.* qui, *Plato*, inquit, *dum nec anatomica, quae medicinae propria eſt, abſtinet, riſum de ſe poſteris tradidit.* Enimuero diſciplina anatomica, ſi narrationes de fabuloſis et obſcuris temporibus demimus, primos certos et indubios auctores habuit philoſophos, vt *Alcmaeonem, Empedoclem, Ariſtotelem.*

diuerſas, quae paullatim accidunt, mutationes delineauit in bombycibus, verum etiam ad plura erucarum et papilionum genera, quotquot ipſi Germania offerebat, contulit induſtriam, nitide omnia depinxit, aeri incidit, viuisque coloribus omnia induxit, addita deſcriptione, qua ea declararet, quae vel penicillum, vel caelum non ſatis exprimere valebant. Matrimonii deinceps iura ſubiit, idque celebrauit cum celebri pictore Norimbergenſi, GRAFIO, quocum XX. annos vixit, duarumque filiarum, ſtudiis iisdem celebrium, mater facta eſt. At enim vero fugit me, quas ob cauſſas maritum deſeruerit, et, ſecum abductis filiabus, *Labadiſtarum* factioni in Belgii foederati prouinciis ſeſe adiunxerit; vnde nec mariti precibus, nec magiſtratus opera, reuocari vnquam potuit. Nouus interim hic commorationis locus fauebat ſtudiis eius, quum infinitam inſectorum varietatem ex vtraque India allatorum in muſeis curioſorum inueniret. Tantum autem aberat, vt conſpectus illorum ſatiare eam poſſet; quum fere papiliones tantum videret, animalia autem ipſa, vnde ortum traxerant, deſideraret, neque gradus mutationis intueri et obſeruare poſſet. Inflammata igitur tot res curioſas et vtiles venandi ſtudio, conſilium cepit, longum ac periculi plenum iter ad Indiam occidentalem ſuſcipiendi, prouinciam Surinamenſem ſibi fixum deligebat domicilium: ſed calores illius regionis vehementiſſimos quum diu perferre non poſſet, reditum ad Europaeos, multis ſcientiae adamatae ſubſidiis locupletata, maturauit. Ne vero deeſſent, a quibus acciperet perpetuum ſuae induſtriae cotem ac fomitem, et per amicos ſibi quotannis noua ſubmitti curabat, et cupide arripiebat oblatam occaſionem alterius ex filiabus Surinamenſi ciui collocandae, vt per hanc a ſe formatam diſcipulam acciperet, quae coram obſeruare ipſi non liceret. Vltimam aetatem, quam ad LXX annos perdu-

xit, affligebant varii morbi, a quibus tandem A. CIↃIↃCCXVII auferebatur, filiae alteri, DOROTHEAE MARIAE HENRICIAE, relicto negotio, vt imperfecta opera ad editionem perduceret. [a])

§. XXXVI.

Sequuntur aliquae, de quibus, quae referam, non multa habens, eorum sola fere nomina recitabo. Est MARIA quaedam MEVRDRACIA, cuius studium in iuuando humano genere, per inuenta chemica auxilia, comprobat libellus, qui exstat. [b]) MAIAM laudat GALENVS, [c]) et AE-

a) Secuti hic potissimum sumus *noua litteraria*, quae in hac vrbe, magno rei publicae commodo, a multis iam annis eduntur, et quidem ea, quae lingua vernacula in lucem exeunt. Videantur ibi *Anu. cIↃIↃccXVII. pag. 178.* et addantur, quae ad emendationem hic scriptorum adduntur eiusdem anni *pag. 767.* Ab aliis multa omnino falsa de hac femina scripta sunt. Sic C. F. PAVLLINVS in libello *de doctis mulieribus* eandem scripsit filiam fuisse celeberrimi medici MARIANI GRAFII: qualis medicus nunquam in orbe fuit. Primis suis libris ex more praemisit cognomen a marito acceptum: postquam autem eum deseruit, neque nominari ab illo voluit amplius, sed patris sui nomine censeri. Meum non est diiudicare causas dissidii, quod inter coniuges ortum nunquam reconciliari potuit. Vero tamen simile est, GRAFIVM pictorem, cui a iudicio rerum matrimonialium in inclyta re publica Norimbergensi permissum fuit, vt aliam coniugem duceret, innocentem fuisse; nec non mendacio confictam esse accusationem, quod ob facinus aliquod fugere ex patria debuerit, quum nihil certius sit, quam quod in patria vrbe semper manserit, et inter ciues honestiores habitus fuerit. Scripta feminae non solum Germanica lingua prostant, sed in Belgicam etiam et Gallicam, quin Latinam, aliqua translata sunt. Primum scriptum emisit *cIↃIↃcLXXIX.* alterum *cIↃIↃcLXXXIII.* Nouissimorum aut recusorum notitiam praebent laudata *noua litteraria.* Vide *A. cIↃIↃccXXVI. pag. 906. Ann. cIↃIↃccXIX. pag. 817.* et *Ann. cIↃIↃccXXXI. p. 595. et 622.*

b) En indicem libri: MARIAE MEVRDRAC *mitleidende und leichte Chymie nebst Johann Muffatz Tractat von wohlriechenden Sachen. Franckf. cIↃIↃcLXXXIX. 24. et cIↃIↃccXII. 12.*

c) *de compos. medicam. sec. gen. lib. V. pag. 389. edit. Gr. Basil.* Esse autem nomen aliquod MAIAM proprium

AETIVS.[d]) Quum vero graecum nomen μαῖα obstetricem denotet, et non satis clarum sit ex GALENO, num voluerit aliquam feminam hoc nomine insignitam laudare, an obstetricem, cuius nomen aut non succurrebat, aut non dignum iudicabat; AETII vero graecum codicem inspicere non liceat: rem in medio nos relinquere oportet. MARIAM etiam, quae et MIRIAM dicitur, *Mosis* sororem crebro iactant chemici scriptores, tanquam arcanioris artis, quae metalla emendat et perficit, participem et magistram.[e]) Scripta eius admodum sunt exiguae fidei. MARGARETAM quoque aliquam in medicorum veterum numero apud TIRAQVELLVM[f]) legimus, cui *Ladislaus Neapoleos* rex, *A. cIↃcccXIV.* exstinctus, quod medicae artis esset peritissima, potestatem fecerit eius periculum faciendi. Cuius rei testes litteras se vidisse scribit, eodem TIRAQVELLO teste, MATTHAEVS DE AFFLICTIS in *constitutiones Siciliae.*

§. XXXVII.

Ordo nunc postulat, vt de MEDEA, apud veteres decantatissima MVLIERE MEDICA, dicamus. Soror fuisse dicitur *Circes*, de qua supra egimus. DIODORVS SICVLVS nos ita de MEDEA docet:[g]) *de vniuersa pharmacorum facultate a matre atque sorore edocta, plane contrariam*

prium et muliebre, satis ex eo constat, quod antiquitas *Mercurium Iouis* ex MAIA filium dixit. Videatur CICERO *de natura deor. III. 22.* PHVRNVTVS *de natura deor. p. 167. edit.* TH. GALE *Amstelod. cIↃIↃcLXXXVIII.* LIL. GREGOR. GYRALDVS *histor. deor. syntagm. IX.* MACROBIVS *Saturnal. I. Cap. XII.* DIODORVS SICVLVS *Bibl. Hist. Lib. III. pag. 194. edit. Rhodom.* apud quem nomen scribitur Μαῖα.

d) *Tetrabibl. III. Serm. II. C. 3.*

e) Videatur LAMBECIVS *Prodr. Hist. lit. Lib. II. Cap. II. p. m. 154.*

f) Vide illum indicem a Celeb. FABRICIO exhibitum bibliothecae Graecae *Volum. XIII. pag. 320.*

g) *Bibl. Histor. Lib. IV. pag. 249. et 253. edit. Rhodom.*

riam vſus rationem inſtituit. Nam perpetuo in hoc operam dedit, vt appulſos illuc hoſpites e vitae periculo eximeret. Nolo multis repetere, quae cum *Argonautis* egerit, et quomodo *Iaſoni* nupta in Graeciam venerit, quaeque de eius facinoribus tragici poetae fidem omnem excedentia fabulentur. In primis eximium peritiae medicae ſpecimen coram perfido praebuit *Pelia*, qui amaſii ſui *Iaſonis* familiam cum ſtirpe deleuerat, quamquam fabularum auctores multa portentoſa rei geſtae addiderunt. Legat illa, quisquis cupit, apud ipſum, quem laudauimus, auctorem. Explicationem adſcribam, quam PALAEPHATVS tradidit:[h]) *De* MEDEA, *vt ferunt, homines recoquente atque ex ſenibus faciente iuuenes, res ita accidit. Prima illa eiusmodi florem inuenit, qui et albos reddere capillos, et nigros, poſſet. Atque ita qui pro albis nigricantes adamarent, efficiebat, vt habere viderentur. Inuentis etiam a ſe balneis, caloribus fouebat volentes, non tamen in publico, ne quis medicorum artem addiſceret. Huic rei nomen erat decoctio. Cum itaque per iſtiusmodi fomenta agiliores fierent homines, ſanioresque, viſo apparatu, lebetibus ſcilicet, lignis et igni, vtique coctura illam veram exiſtimabant. Sed ea ſimiliter vſus Pelias, vir ſenex et debilis, vitam perdidit.*

§. XXXVIII.

Singulare eſt, quod MACROBIVS[i]) addocet, quosdam exiſtimaſſe, MAIAM, *Mercurii* matrem, eandem eſſe MEDEAM,

h) *de incredibilibus Hiſt. Cap. XLIIII. pag. 54. edit.* TH. GALE *Amſtelod. 8uo.* His congrua legimus apud IO. STOBAEVM *Lib. XXIX. pag. 207. edit. Baſil. cIↃIↃXLIX. f. Diogenes Medeam dicebat ſapientem, non veneficam fuiſſe. Acceptis enim mollibus et effeminatis hominum corporibus, confirmaſſe ipſa gymnaſiis ac exercitiis, et robuſta vigentiaque reddidiſſe: hinc famam emanaſſe, quod coquendo carnes in iuuentutem reſtituerit.*

i) *Saturnal. Sermon. Lib. I. Cap. XII.*

DEAM, eandemque BONAM DEAM, FAVNAM, OPEM, FATVAM. Qui in eam opinionem adducti ſunt, hi eo potiſſimum nituntur argumento, quod in aede eius omne genus herbarum fuerit, ex quibus antiſtites plerumque medicinas dederint: et quod templum eius viro introire non licuerit, propter iniuriam, quam ab ingrato viro *Iaſone* perpeſſa ſit. Plura et abunde multa de MEDEA cupientem remitto ad NATALEM COMITEM. [k]) OENONEN tanquam vaticinandi peritam, legendarumque herbarum gnaram, celebrat CONON, cuius librorum ſummam nobis conſeruauit diligentiſſimus PHOTIVS. [l]) Eandem ſe iactantem iſta peritia nobis ſiſtit OVIDIVS. [m]) Oportet, eam vixiſſe tempore belli Troiani, ſi vmquam vixit, et non tota eſt fabuloſa. Succedit OCYRRHOE filia *Chironis* Centauri, de qua nos idem OVIDIVS [n]) edocet:

Ecce venit rutilis humero protecta capillis
Filia Centauri, quam quondam nympha Charido,
Fluminis in rapidi ripis enixa, vocauit
Ocyrhoen.

NATALIS COMES [o]) exiſtimat, *Chironi*, medicinae Chirurgicae inuentori, hanc filiam ideo a vetuſtate fuiſſe attributam, quoniam haec ars neceſſario viam corruptis aperiat humoribus: et quum, quo citius hi et commodius defluxerint, eo citius vulnus ſanetur.

§. XXXVIIII.

OLYMPIADEM Thebanam inter MVLIERES MEDICAS refero, fide C. PLINII, [p]) hiſtoriae naturalis conditoris, et alterius cuiusdam, fretus, quem VALERIANI [q]) cognomine

k) *Mythol. Lib. VI. Cap. VII. integro.*
l) *Codice 186. pag. 434. edit. Rothomag. fol.*
m) *Heroid. V. epiſtola ad Paridem.*
n) *Metamorphoſ. Lib. II. v. 636. ſeqq.*
o) *Mythol. Lib. IV. Cap. XII.*
p) *Hiſt. nat. Lib. XX. Cap. XXI.*
q) *de re medic. Lib. IV. Cap. V.*

ne noſcimus. Vterque iisdem fere verbis ex eius fide refert, abortiuas eſſe maluas cum adipe anſeris. Prior etiam alia ab ipſa accepit, inque ſuos libros retulit [r]) medicamenta, mulierum affectibus deſtinata omnia. Vnde cognoſcimus, quod de ſui ſexus valetudine praecipue fuerit ſollicita. Quoniam a GALENO, aliisque Graecis, non citatur, Latino vſa eſſe videtur ſermone in ſcribendo.

§. XL.

PALLADEM, quam MINERVAM Latini vocant, in hoc MVLIERVM MEDICARVM indice, vel eo nomine collocare me oportet, quod ei omnium bonarum artium inuentio et tutela tribuitur. Originem fabuloſam non attingemus. Praecipue colebatur ab Athenienſibus, qui ipſi ſeorſim tribuebant tuendae valetudinis et morbos profligandi beneficium. Huius documentum dediſſe ſcribitur a PLVTARCHO, [s]) quum *Periclis* temporibus templum eius in arce aedificaretur, et operariorum promtiſſimus ſuper altitudinem faſtigii repſiſſet, ac inde cecidiſſet. Demonſtrauit enim *Pericli* in ſomnio herbam, cuius ope is homo conualuit. Eiusdem hiſtoriae meminit PLINIVS, [t]) qui herbam illam perdicium ſiue parthenium vocari, a Latinis vrceolarem, docet. Atque idem auctor MINERVAE tribuit, quod vitem, quae Chironia alias vocatur, inuenerit, [u]) quodque ſuum etiam miſerta, his repererit medicinam, quam quisquis fodere cupiat, efficacem non aliter reddat, quam ſi verba addat: haec eſt herba argemon, quam MINERVA reperit ſuibus remedium, qui de illa guſtauerint. [v])

§. XLI.

r) *Hiſt. nat. Lib. XXVIII. Cap. IX.* bis laudatur, adduciturque medicamentum externum, quo menſtruae purgationes cieantur, et aliud, quo ſterilitas ob partus vexationem inducta emendari queat.

s) *in vita Periclis pag. 160. edit. Francof.* CIↃIↃCXX.

t) *Hiſt. natur. Lib. XXII. Cap. XVII.*

u) *Ibid. Lib. XXV. cap. IV.*

v) *Lib. XXIV. cap. XIX.*

§. XLI.

Athenienſes illud praeſens in medendo numen coluere ſtatua aenea in arce poſita iuxta aram, quam ante memorant ibi fuiſſe; rurſus teſte PLVTARCHO, [vv]) qui Graecum nomen prodit ὑγείας Ἀθηνᾶς: quod idem confirmat HARPOCRATION. [x]) PAVSANIAS [y]) de ſimulacro HYGEAE MINERVAE teſtis eſt, ſua aetate Athenis viſo: vt et de MINERVAE SOSPITAE ara in Achaonana Atticorum curia. [z]) Atque idem MINERVAE PAEONIAE ſignum Athenis commemorat. [a]) Nec vero alii defuerunt populi, qui MINERVAM MEDICAM ſuſpexerunt. In his Nicaeenſes. IO. HARDVINVS de numis horum diſſerens, [b]) addit: ΥΓΕΙΑ ΚΑΙ ΑΣΚΛΗΠΙΩ ΝΙΚΑΙΕΙΣ *Hygiae et Aeſculapio Nicaeenſes.* Numus hic *Hadriani* ex cimelio Reginae *Chriſtinae* ſumtus eſt. Idcirco autem *Aeſculapius* et *Hygia* ſimul hic depicti exhibentur, et *Aeſculapii* filia *Hygia* eſt habita, quod *Aeſculapii* nomine, *Iouem* antiqui, *Hygiae* vero, *Mineruam* intellexerint, *Iouis*, vt narrant fabulae, filiam, quam et MEDICAM nominarunt, ipſumque *Iouem Salutarem*, vt eſſet idem ζεὺς σωτὴρ, qui Σωτὴρ Ἀσκληπιὸς. Vetus inſcriptio apud IANVM GRVTERVM p. MLXVII. n. 3. MINERVAE MEDICAE, et n. 1. MINERVAE AVG. L. CALLIDIVS PRIMVS AVRES ARGENTEAS V. S. L. M. Nimirum ob ſanatam aurium grauitatem aures ille ex argento confe-

w) *in vita Periclis l. c.*

x) *Libro de vocibus in* Ὑγεία.

y) *Lib. I. Cap. XXIII.* poſitam ſcribit ad latus, *Hygeae, Aeſculapii* filiae, cuius nomen ſcribit Ὑγία. Sed *Mineruae* ſoſpitae, Ὑγιεια.

z) *eodem libro Cap. XXXII.*

a) *Ibidem cap. II.* Poſitam fuiſſe dicit ante porticus, quae a porta ad Ceramicum ducente erant poſitae. SCHVLZII *Hiſt. med. p. 74.* Et conf. SPANHEMII *obſeruat. ad Callimachi hymnum in Pallad. p. 609.* vbi illuſtris auctor plures, vt ſolet, alios locos huc retulit.

b) *vid. Numi antiqui populorum et vrbium illuſtrati p. 121.*

confectas donarii loco MINERVAE suspendit, *Votumque Soluit Lubens Merito.* Et fuit Romae MINERVA MEDICA, regione Vrbis quinta; vt quidem *P. Victor* prodit. Vid. quae Cl. PETRVS ZORNIVS hac de re in medium attulit. [c])

§. XLII.

Dubius sum et anceps, quid statuendum mihi sit de PAMPHILE *Epidauria*, cuius SVIDAS [d]) meminit vna cum elogio sapientis. Scripta eius grauis sunt argumenti et vtilis omnia: *vt commentarii historici libris XXXIII. epitome Ctesiae libris III. Epitomae historiarum*, aliorumque librorum quamplurimae, vt et *de controuersiis.* Quibus moueor, vt et librum *περὶ ἀφροδισίων*, de *re venerea*, talem fuisse credam, qui famam et existimationem feminae sapientis non contaminet, prorsusque dissimilis illis sit, quos de quibusdam superius nominatis indicare debui. Vtrum autem hoc argumentum philosophice magis tractauerit, an medice, definire non possum, et omnino in medio relinquo. At coniectura tamen me ducit, hoc scriptum ad medica pertinere, quoniam in vrbe *Aesculapio* sacra, et rebus medicis semper personante, natum fuit, parente fortassis *Asclepiade*; id quod ex nomine *Soteridis* diuinandi locus datur. Vixit, teste PHOTIO, [e]) temporibus NERONIS R. I.

§. XLIII.

c) *in Biblio. Antiquario Exegetica Tom. I. Part. I. p. 61. f.*

d) voce Παμφίλη.

e) *Bibliothec. pag. 387. edit. Rhotomag.* Nam omnino credo, illam a SVIDA laudatam ab hac non esse diuersam, quamuis PHOTIVS suam dixerit gente *Aegyptiam.* Fieri enim potest, vt parentes eius ex *Aegypto Epidaurum* venerint, ibique sedem fortunarum fixam esse iusserint, aut ex *Epidauro* in *Aegyptum* habitatum concesserint.

§. XLIII.

PANACEAM, *Aeſculapii* filiam, ab eo, quod omnibus medeatur, dictam multa antiquitatis monimenta celebrant. HIPPOCRATES [f]) per hanc et *Hygeam* nullum non tironem arti medicae initiandum iurare voluit. Pictam hanc vna cum parente et ſororibus a *Socrate* admirabantur veteres, teſte PLINIO, [g]) qui et plantam *panacem Asclepion* vocatam refert, [h]) quod *Aeſculapius* filiam PANACEAM appellauit. PAVSANIAS [i]) commemorat apud *Oropios* aram in partes quinque diuiſam pro diuerſis numinibus et heroibus. Huius pars quarta *Veneri* fuit aſſignata, PANACEAE, *Iaſoni*, *Hygeae* et *Mineruae Paeoniae*. De cetero, ex ipſa numinum ſocietate perſpicuum eſt, quo apud veteres loco et numero habita PANACEA fuerit.

§. XLIIII.

Ad POLYDAMNAM ordo nos deducit, feminam *Aegyptiam*, quam HOMERI [k]) carmina immortali memoriae conſecrarunt. Legimus autem relatum, illam, quod *Thonis* vxor fuerit, medicamentorum omnium notitiam eximiam habuiſſe, et *Helenam* nobili quadam medicina donaſſe, quod ab effectu, cuius cauſſa et auctor eſt, vocatur νηπενθὲς τ' ἄχολόν τε, hoc eſt, quod lugere non ſinat, et iram ſedet et compeſcat.

f) *in iure iurando.*
g) *Hiſt. nat Lib. XXXV. Cap. XI.*
h) *Ibid. Lib. XXV. Cap. IV.*
i) *Lib. I. Cap. XXXIV. pag. 84.*
k) *Odyſſ.* Δ. *v. 227.* vbi EVSTATHIVS multa ſuppeditat. Nec praetereundum eſt, quod Scholiaſtes minor, quem DIDYMVM aliqui vocant, ad hunc locum notat, ambiguum eſſe, ſitne POLYDAMNA nomen proprium mulieris, an adiectiuum, quod ad φάρμακα referri debeat. Nam nomen illius feminae, quae *Thonis* coniux erat, fuiſſe THVMIS, a PTOLOMAEO commemorari. Sed non morari hoc dubium nos poterit, quum POLYDAMNAE nomen ab *Herodoto* et PHILOSTRATO *de vita Apollon. Tyanenſ. lib.* VIII. cap. XXII. confirmetur.

Quae occaſio fuerit, vt *Helena* in *Aegyptum* veniret, et *Thoni*, oſtio *Nili* praefecto, innoteſceret, id quidem HERODOTVS copioſius expoſuit. [l]) DIODORVS SICVLVS [m]) de eadem referens, POLYMNESTEN eam vocat: atque nepenthes illud apud ſolos dioſpolitanos inueniri tradit. Plerisque illud opium eſſe videtur; quoniam autem illud ſoporem obiicit hominibus et languorem; id quod de nepenthe non refertur: aliam oportet fuiſſe eius remedii temperationem. Sed de hoc fuſius diſputandi locus nobis daretur, ſi diſſertationem cathedrae medicae inſeruituram pararemus.

§. XLV.

Quum inter MVLIERES MEDICAS maxime cenſeri obſtetrices debeant nobiliores et nomen immortale conſecutae: nefas profecto eſſet omittere illam in ſacris litteris [n]) celebratam PVAM, quam etiam PHVAM, ΦΟΥΑΝ, ſcribunt. Haec vna cum ſocia SIPHRA ob ſingularem in puerulos Hebraeorum pietatem et conſeruationem, quae familiis eorum adaugendis et amplificandis cauſſam praebuit, iam pridem digna fuit, cuius nomen per figuram, quam antonomaſiam vocant rhetores, pro quauis optima et perfectiſſima obſtetrice ponatur.

§. XLVI.

MARIA SOPHIA SCHELHAMMERIA, magni HERMANNI CONRINGII filia, medico patre, et medico marito vſa, non alienum ab arte familiari animum habuit, eoque vehementer incitata operam dedit, vt ad artem coquinariam recte colendam homines formaret ac

l) *lib. II. qui Euterpe* inſcribitur, *Cap. CXII. et ſequentibus.*

m) *Bibliothec. hiſtor. Lib. I. prope finem, pag. 87. 88. edit. Rhodoman.*

n) *Exod. I, 15.*

ac fingeret. Et quamquam is ego non ſum, qui coquum medicum eſſe velim; id quod apud ATHENAEVM o) inductus comicus contendit, omnino polyhiſtorem coquum deſcribens: idem tamen puto et prae me fero, rem culinariam a medicina ſubinde corrigendam et perficiendam eſſe, vt magis valetudini conſeruandae, et refocillandis languentibus, conducat. Laudem meretur ſcriptum SCHELHAMMERIAE, p) quod hanc diſciplinam complectitur; quo etiam docet modos, quibus fructus horaei ad longum tempus conſeruari poſſint, vt reficiendis infirmis minusque valentibus tempeſtiue afferri queant.

§. XLVII.

IVSTINA SIEGEMVNDIA, nata DIETERICA, maiorum memoria valde claruit obſtetricia laude, atque honorifice habita fuit in aula *Sereniſſimi Electoris Brandenburgici*, cui operam ſuam addixerat. Emiſit illa librum notiſſimum de *arte obſtetricia*, q) cuius editio aliquoties repetita, certos omnino nos reddit, eum illius aetatis hominibus haud omnino diſplicuiſſe. Apud nos antehac floruit medicus, quem illa aequalem habuit, celeberrimus, idemque Profeſſor, D. ANDREAS PETERMANNVS, qui diſſertationi de gonorrhaea inſcriptae additamentum aliquod ſubiiciebat, quo non diſſimulabat, ſibi non omnia in eo libro probari, laudari exempli gratia in eo enchiriſes non

o) *Deipnoſophiſt. lib. VII. p. 290. 291. edit. Commelin.*

p) Indicem hunc praefixit: *Wohlunterwieſene Koechin, nebſt der zufaelligen Confect-Tafel, Braunſchweig* CIↃ IↃCC IV. 4to, *Berolini* CIↃ IↃCC XXXII.

q) Inſcriptio haec eſt: *Chur-Brandenburgiſche Hoff-Wehemutter.* Prodiit *Coloniae ad Sueuum* CIↃ IↃC LXXXX. 4to. cum multis tabulis aeneis. Repetita eſt editio CIↃIↃCCVIII, CIↃ IↃCCXV, CIↃ IↃCC XXIII.

non ſolum omnino ad vſum ineptas, ſed plane noxias. Quin etiam illud prae ſe tulerat, non ſatis mirari ſe poſſe, qui fieri potuerit, vt is liber cenſuram collegii medici ſuſtineret. Haec res non ſolum irritauit SIGEMVNDIAM, et ad defendendas opiniones ſuas eam excitauit, ſed etiam collegium illud, a quo cenſura profecta erat. Quae ſcripta in hac cauſſa edita ſint, ex indicibus, quos in ora exhibebo, cognoſcetur. r)

§. XLVIII.

Ordo nos vocat ad SALPEN, quam obſtetricem fuiſſe PLINIVS s) auctor eſt, qui ſaepe eam citat, quamquam ea, quae ipſi attribuit, leuioris momenti eſſe videntur. Ex eodem auctore t) diſcimus, SOTIRAM etiam obſtetricum olim adauxiſſe numerum. SIPHRAM, quam et SEPHORAM vocant, eiusdem profeſſionis piam et integerrimam feminam fuiſſe, ex grauiſſimo teſtimonio MOSIS,

r) *An D. Andr. Petermann, wegen eines Corollarii, ſo in der Diſputation de gonorrhoea unter ſeinem Praeſidio* CIↃ IↃC LXXXX. *abgelaſſenes Send-Schreiben Iuſtinae Sigismund. Cölln an der Spree.* CIↃ IↃC LXXXXII. 4to. *Repoſuit huic* PETERMANNVS *noſter ſcriptum, hoc indice inſignitum: D. Andr. Petermanns, Anat. et Chirurg. P. P. ordinarii auf der Vniuerſitaet Leipzig gründliche Deduction vieler Handgriffe, die in dem Buche: die Chur-Brandenburgiſche Hoff-Wehemutter genannt, gerühmet worden, und doch auf bloſſer Speculation beruhen: überdieſes aber in der Praxi ungereimt, auch denen Wehemüttern und Kreiſſenden gefährlich ſind. Nebſt etlichen Beylagen* CIↃ IↃC LXXXXII. 4to Subſecutum eſt aliud ſcriptum: *Iuſt. Siegismundin nöthiger Bericht, wider des D. Andr. Petermanns Deduction vieler ungereimter Handgriffe, etc. Cölln an der Spree.* CIↃ IↃC LXXXXII. Sed PETERMANNO noſtro non placebat diutius cum femina dimicare, et maiorem ſe laudem ablaturum ſperabat, ſi omnem controuerſiam totius rei publicae medicae permitteret iudicio, quam ſi victricia contra mulierem arma ſumeret, aut litteras ab ea victrices et laureatas acciperet.

s) *Hiſt. nat. Lib. XXVIII. Cap. 7. Lib. XXVIIII. Cap. 19. Lib. XXXIII. Cap. 10.*

t) *Ibid. Lib. XXVIII. Cap. 7.*

SIS, u) viri a Deo docti, intelligimus. Socia fuit illius PVAE, quam supra laudauimus. Fuerintne autem hae ambae obstetrices *Aegyptiae*, an *Ebraeae* originis ac gentis, inter eruditos viros dubitatum est. *Ebraeam* quidem originem illis vindicatum iuit CL. M. GOTTLOB FRID. GVDIVS v).

§. XLVIII.

THEODOSIA sequitur, quae circa annum Christi CCCIIX inclaruit, et ob professionem Christianae fidei gladio percussa est, regnante *Diocletiano* Imp. Quum in viuis esset, tantam medicinae et chirurgiae sibi famam peperit, vt non minus hac peritia Romae clara esset, quam constantia aeternam memoriam consecuta sit. Sanctorum quippe catalogo nomen eius insertum, et a. d. XXIX Maii in fastis scriptum fuit. Vid. CHR. BENED. CARPZOVIVS w).

§. L.

Ordini MVLIERVM MEDICARVM haud exiguum decus adfert, et, tanquam fulgidissimum sidus, elucet ELEONORA, Dux TROPPAVIENSIS et IAEGERNDORFIENSIS, quae, more plurium illustrium feminarum, quicquid ad medelam morborum promtum et vtile viderat, aut ab aliis visum et comprobatum perceperat, in futuros vsus annotauit, et conscripsit. Ex hoc studio enatum ipsi est volumen insigne, quod medicinas fere in omnibus humani corporis morbis complectitur. Summo applausu exceptum id fuit opus, x) saepiusque renouatum, etiam proximis annis.

§. LI.

u) *Exod. I. 15.*

v) in exercitatione philologica *de Ebraïca obstetricum origine, Lipſ.* CIↃ IↃCC XXIV.

w) in dissertatione, qua *medicos ab ecclesia pro sanctis habitos* illustrauit CIↃ IↃCC IX, §. XXVIII, et sat multos testes hanc in rem citauit.

x) Editiones primae inscribuntur: *Eleo-*

§. LI.

VICTORIAM, MVLIEREM MEDICAM, posteritatis memoriae prodidit OCTAVIVS HORATIANVS, quem THEODORVM PRISCIANVM alii appellant. Huic enim inscripsit librum suum tertium, quem de passionibus mulierum et curis earundem insigniuit. Quod artis non solum gnara fuerit, sed eandem exercuerit apud feminas, quibus communis arridet sexus, ex ipsa praefatione discimus. Plura quidem in promtu non habeo, quae de ea referam. In editione, quam SIGISM. GELENIVS procurauit,[y]) non VICTORIAE, sed SALVINAE cuidam, hic liber dedicatur. Vtrum vero nomen rectius hic legatur, id quidem eorum deliberationi relinquendum erit, quibus meliores codices manu exaratos inspiciendi occasio datur. Mihi etiam de SALVINA non suppetunt alia dicenda.

§. LII.

ANNA WOLLEY, mulier illustris in Magna Britannia nata, de arte coquinaria, et de variis ad gynaecei curam pertinentibus scripsit. Extat inter libros eius, qui inscriptus est *pharmacopolium muliebris sexus*. Multis eas commentationes probatas esse, vel ex eo cognosci potest, quod non solum in nostrum patrium sermonem conuerti meruerunt, verum etiam saepius typis descriptae sunt. Indicem [z]) sub-

Eleonorae Hertzogin von Troppau und Iägerndorff VI. Bücher auserlesener Artzeneyen, und Kunststücke fast vor alle des menschlichen Leibes Gebrechen und Kranckheiten. Torg. CIↃIↃC. *fol. Zerbst* CIↃIↃCXIII. 4. *Leipzig* CIↃIↃCXVIII. 4. Idem opus sub alio indice recentius prodiit: *Aufgesprungener Granat-Apfel des Christlichen Samariters, oder eröffnete Geheimnisse vieler vortrefflicher Artzeney Mittel nebst einer Diaeta und Kochbuche, worinnen allerhand denen Krancken dienliche Speisen angewiesen werden. Leipzig* CIↃIↃCCIX. 4. *Nürnberg* CIↃIↃCCXXXIII. 4.

y) *Basileae apud Frobenium* CIↃIↃXXXII. 4to.

z) *Frauen-Zimmer Zeit Vertreib oder reiches*

ſubiiciemus. Huic ſtatim ſubiungimus ANNAM WECKERIAM, cuius librum de arte coquinaria hodieque habemus. [a])

§. LIII.

Agmen claudat non vltima quidem, ſi nominis famam, et fiduciam ſpectes, quam in eam ponunt multi arcanioris chemiae amatores, DOROTHEA IVLIANA WALLICHIA. Non veritam fuiſſe hanc feminam, manus niueas atro carbonum puluere ſubinde inquinare, et experimentis multum tribuiſſe, laudi omnino ducimus. De reliquis iudicium permittimus hanc ſcientiam adeptis. Nobis ſufficit indicem dare ſcriptorum. [b])

§. LIIII.

Atque ſic percurrimus MVLIERES MEDICAS, quas celebratas ſcriptis inuenimus; non omnes quidem; fatemur enim, nos omiſiſſe quasdam, de quibus, praeter nomen, nihil legebamus, aut quas de aliis agentes, ſimul indicauimus. Quoties, verbi cauſſa, AEGLEN et PANACEAM nominauimus, non potuit fieri, quin ACESO et IASO, et, ſi qua alia eſt AESCVLAPII filia, etiam ſignificaretur, aut ſaltem da-

reiches Gemach von auſserleſenen Experimenten und Curioſitaeten, beſtehend in einem vollkommenen Kochbuche, Praeſeruir- und Candir-Kunſt, Frauen-Zimmer Apothecke, Hamburg CIↃIↃCLXXIV. CIↃIↃCLXXXVIII. CIↃIↃCXCVII. *12.* Breuiori etiam titulo proſtat: *Vollkommener Koch- und Frauen-Zimmer Apothecke, Hamburg* CIↃIↃCLXXVIII. *12.*

a) *Baſileae* CIↃIↃCXX. *8uo. et ib.* CIↃIↃCLII. *Ambergae* CIↃIↃXCVII. *4. et* CIↃIↃC.

b) *Mineraliſches Gluten, doppelter Schlangen-Stab, Mercurius Philoſophorum, langer und kurtzer Weg zur Vniuerſal-Tinctur. Leipzig* CIↃIↃCCV. *8uo. Philoſophiſcher Perlbaum, das Gewächſe derer drey Principien, zu deutlicher Erklärung des Steins der Weiſen, etc. Ibid.* CIↃIↃCCV. *8uo. Schlüſſel zu dem Cabinet der geheimen Schatz-Kammer der Natur, zur Such- und Findung des Steins der Weiſen, Leipzig* CIↃIↃCCVI. *8uo.*

retur indicium, vbi de his feminis a veteribus actum sit. Supereſt, vt per lancem quasi saturam etiam de illis aliquid subiiciamus. Magnum illud CORPVS INSCRIPTIONVM, quod IANI GRVTERI industria collectum habemus, suppeditat nobis c) IVLIAM *Q. L. C. Quinti Libertam* SABINAM, cui Q. IVL. ATIMETVS monimentum posuit. Aliam MINVCIAM medicam, pariter libertam ibidem legimus: vt et SENTIAM ELIDEM medicam, cui contubernali monimentum curauit C. CORNELIVS MELIBOEVS. Hanc seruam fuisse medicam, manifestum est. Ex eadem inscriptionum collectione nouimus MARIAM, libertam AGREPINAE, obstetricem, et ANTONIAM AVG. L. THALVSAM; nec non SALLVSTIAM Q. L. IMERIAM, ambas pariter obstetrices.

§. LV.

Non possum, quin hic subiungam MVLIEREM MEDICAM, quam in ordine superiori collocare mihi non licuit, quippe nominis ignaro. Est haec coniux medici chirurgi celeberrimi GVIL. FABRICII HILDANI, quem ob artis peritiam, raro sane exemplo, ciuitate donauit S. P. Q. *Bernensis*. Rem ab vxore peractam refert ipsemet. d) Nos in pauca, quae ille verbosius recitauit, hic contrahemus. Accidit nimirum, vt absente *Fabricio Hildano* vir quidam super congelata terra retro in capulum gladii caderet, ac nonam deci-

c) *Pag. DCXXXVI. num. 1. 2. 3. 4. 5. 6.* Quamquam vero laudatae his lapidibus obstetrices seruilis primum conditionis fuerint, et libertae per manumissionem factae sint, non tamen concludendum esse, quod omnes olim Romae obstetrices fuerint seruilis aut libertinae conditionis, colligere licet ex PLINIO *Lib. XXXIII. Cap. 6.* iamque aliis argumentis probauit IO. HENR. SCHVLZE *in dissert. de seruis medicis §. 29. et seqq.* Add. Diss. *de Honoribus Medicorum apud veteres*, Praeside CEL. WOLLIO, An. CIↃ IↃCC XXX a me habita, p. 38. s.

d) *Obseruat. Chirurg. Cent. V. obseru. LXXXV.*

decimamque coſtam ſiniſtri lateris prope ſpinam confringeret; vnde periculi pleniſſima ſymptomata ingruebant. His vero omnibus virum hunc excipiebat FABRICIA aduocata, quae curationem tam manu, quam medicamentis, per decem ipſos dies, quibus maritus aberat, tam dextre adminiſtrabat, vt hominem integerrimae valetudini reſtitueret. Quod ſi haec femina antiquis heroum temporibus vixiſſet, forte in numinum medicorum concilium adoptata, et EPIONAE ad latus poſita fuiſſet.

§. LVI.

Equidem nullus dubito, quin quam plurimae et olim fuerint, et hodieque ſuperſint, MVLIERES MEDICAE. Curioſitas enim ſexus elegantioris, quae in ſe quidem ſpectata, nullam vituperationem meretur, tanta eſt, vt diligenter obſeruet, quicquid apud aegrotos conſpicuum aliquem fructum edit. Atque talia a medicis minus denegantur roganti feminae illuſtri, nobili aut alias honeſtae, quam ſaepe viris. Harum aliquae acceptum arcanum ſub fide ſilentii in familiis ſuis conſeruant et propagant, liberaliterque cuiuis indigenti et petenti ſuppeditant. Abſit a me, vt hoc vlla reprehenſione dignum cenſeam. Sed negari etiam illud nequit, quod ſaepe irritus, nec raro noxius ſit effectus, quoties medicina vel cauſſae morbi non congrua, vel non opportunis temporibus, datur. Ignoro etiam, quid ſingulare ſit, quod medicinae iſtiusmodi ab illuſtribus datae, aliquando plus iuuent, quam ſi eaedem ab alio quocunque datae fuiſſent. Sic a certo viro accepi, illuſtriſſimam quandam matronam in, neſcio qua, imperiali vrbe cognouiſſe, quae magna perfecerit emplaſtro illo per omnes officinas obuio, quod citrinum vocatur. Quum efflagitantium illud emplaſtrum tam multi accurrerent, illa diutius rem non celauit,

lauit, esse illud, quod in officinis paretur, ipsosque inde petere iussit. Sed renuntiatum ipsi crebro fuit, hoc, quod a pharmacopoeo vendatur, speratas haud habere vires. At quum idem ex manu matronae, in qua fiduciam nimiam ponebant, accepissent, praesens eius auxilium laudibus in coelum extulerunt. Vides, quantum persuasio hominum et fiducia possit! Paruulam rei caussulam alii, quibus ista placet inquisitio, scrutentur.

§. LVII.

Non est huius loci, vt inquiramus, quantum rei publicae aut intersit, aut noceat, si MVLIERIBVS permittatur MEDICINA. Bonae leges satis cauerunt publico huius libertatis abusui, ac volunt eaedem, vt artem hanc nobilissimam exerceant, qui ex solidis eam callent fundamentis, et ex magistris idoneis didicerunt, speciminibusque editis spectati et publica auctoritate muniti sunt. Vbi vero tempus et locus his vti non permittunt: quis prohibebit ab opere humanitatis et misericordiae mulierem, quae medicinam se facere posse gloriatur? Ipsi solent medici prudentiores non adspernari bene monentis feminae consilia: meliusque videtur esse, si res eo deducatur, vt, monente et dirigente medico, ad curationem MVLIERES concurrant, quam vt, absente et inscio medico, aliquid moliantur, quod aegrotantis in perniciem euadat; cuius tamen culpa, quia vera celatur et occultatur, tandem plerumque in medicum confertur. Atque, his expositis, MVLIERES MEDICAS valere iubeo.

EXPLICIT.

* * *